



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institutionum Juris Canonici Sive Primorum totius Sacrae  
Jurisprudentiae Elementorum. Libri Quatuor**

**Febeo, Francesco Antonio**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

**VD18 13560743-001**

Liber Quartus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63052](#)

INSTITUTIONUM  
JURIS CANONICI  
LIBER QUARTUS.

T I T. I.

*De Accusationibus.*

1.  **U**andoquidem ex dictis ad initium libri præcedentis, judicium aliud civile est, aliud criminale; cum expositum sit toto eodem libro quod pertinet ad civile, sequitur ut de criminali dispiciamus, exordium sumentes à modo, quo juxta Sacros Canones instituitur, ac deinde gradum facientes ad crimina, quæ sunt ejusdem judicii materia, & ad pœnas, quibus absolvitur, quæ erunt materia sequentium rubricarum.

2. Criminale judicium nihil omnino simile habere cum cæteris judiciis, de quibus supra locuti sumus, asseritur in §. 1. *Instit. de publ. judic.* quod tamen intellige cum *Glos. ibid. v.* nec omnino quicquam quoad aliqua magis præcipua, judiciorum, ut puta quoad initium seu institutionem, cum civile per actionem; ac criminale per accusationem, inquisitionem, aut denunciationem instituatur: quoad finem, quia in civilibus agitur ut aliquid detur Actori, in criminalibus

malibus autem ut puniatur accusatus: demum in aliquibus etiam quoad progressum; tum quia in civilibus probat tantum Actor, ex l. qui accusare 4. C. de Eden. sed in criminalibus quandoque & Actor & Reus, l. ubi falsi 22. C. ad leg. Corn. de falsis, & l. fallaciter ult. C. de abolitionib. tum etiam quia in criminalibus multo clarior probatio requiritur contra Reum quam sufficiat in civilibus, ut pluries in superioribus indicatum est. Cæterum quoad plura utrumque judiciorum genus convenire manifestum est, cum in utroque libellus porrigatur, juretur de calumnia, examinentur testes &c. ut notatur ibidem à Glos. citata.

3. Instituitur itaque criminale judicium vel per accusationem, vel per denunciationem, vel per inquisitionem, c. super l. i. 6. de accusation. & c. licet. Heli 31. de Simon. Est autem hic accusatio juxta Host. in Sum. b. t. criminis alicujus apud judicem competentem, inscriptione interveniente, ad pœnam facta delatio quæ definitio seu descriptio colligitur etiam ex l. fin. C. de accusation.

4. Fieri ista solet per libellum accusatorium in quo contineatur nomen judicis, accusatoris, & Rei, item delicti locum & tempus, ut supra diximus in lib. 3. tit. 5. ex l. Libellorum 3. ff. eod. ac præterea subscribat se accusator ad pœnam talionis, hoc est obligationem in se suscipiat

T 3 subeun-

subeundi eandem vel similem poenam, si cri-  
men delatum non probaverit, quam Reus pro-  
bato crimine pati debuisset, atque hoc est quod  
in jure intelligitur nomine inscriptionis. Ejus-  
modi inscriptio statuta olim fuit, ne facile quis  
ad accusationem protuliret, *l. si cui 7. ff. eod.* sed  
quia fortasse propter ejus necessitatem multi  
deterrebantur ab accusando, unde plura crimi-  
na manebant impunita; ideo passim ejus usus à  
foro recessit, pro quo consulenda est particula-  
rium regionum consuetudo.

5. Quilibet ad accusandum in foro admitti-  
tur tum pro sua suorumq; injuria prosequenda  
sive ad interesse privatum, tum ad vindictam  
publicam, nisi specialiter & expresse reperiatur  
jure prohibitus, quemadmodum aliqui prohi-  
bentur propter infirmitatem ætatis aut sexus:  
ut mulier, & pupillus; aliqui propter delictum  
proprium, ut infames aliqui; propter condicio-  
nem suam: ut filii contra parentes, & liberti cō-  
tra patronos; aliqui propter suspicionem calum-  
niæ: ut illi qui falsum testimonium subornati  
dixerunt, & sic de pluribus aliis, qui fuse recen-  
sentur in *l. qui accusare 8. & seqq. ff. de accusa-*  
*c. Prohibentur 13. 11. q. 1. & pluribus cc. 11. q.*  
*7. ubi etiam inter cæteros numerantur laici qui*  
*Clericum accusare prohibentur, ut in c. 2. &*  
*ead. q. 7. & Clerici quibus vetitum est Laicos*  
*accusare, ut in c. Sicut Sacerdotes 6. ead.*

CATH



... & q. tum ad vitandum irregularitatis periculum si poena sanguinis afficiatur accusatus, tum quod reverentia status Clericalis id exigat ut his odiosis litigiis & minus laudabilibus accusationibus se non immisceant. Has aliasque à publica accusandi facultate exceptiones, *Glos. in c. 1. de accusation.* his versibus complectitur.

*Femina, pupillus, delatus, criminе tentus.*

*Suspectus, quaestu corruptus, sortilegusque.*

*Infamis, servus, pauper, cum milite Princeps.*

*Libertus, socius socium, nec non inimici.*

*Clericus Ecclesiam nullus deferre valebit.*

6. Hæc dicta procedunt præsertim quoad accusationem ad vindictam publicam. Si enim accusent ad suum dumtaxat, aut suorum , aut suæ Ecclesiæ interesse, plerumque non repelluntur, *juxta l. Hi tamen ii. ff. de accusation.* sed & aliquæ sunt criminum species à communi ea regula exceptæ, ad quorum scilicet accusationem admittuntur etiam plerique illorum , quibus ceteroquin accusare prohibitum est, ut suis infra locis indicabitur , ubi de illis particularibus criminibus sermo erit.

7. Illud tamen hic admonendi sumus , si de facto contingat accusatorem aliquem inhabilem ad accusandum accedere , nec à Judice ex officio, nec ab accusato per exceptionem repelli, non propterea processum accusationis invali-

T 4

dari,



dari, ut testatur communis opinio, satisque convinci arg. textus in c. *Pia i. de excep. in 6.* ubi vallet judicium cum excommunicato, si contra eum non fuit exceptum.

8. Personæ quæ accusari criminaliter possint, sunt generatim omnes delinquentes, sine ulla sexus differentia, etiam impuberes pubertati proximi qui præsumuntur esse doli capaces, ex l. *Pupillum 11.1. ff. de reg. jur. quamvis postea pos- fit interdum Judex miseratione ætatis mitigare illis pœnam*, juxta l. *Auxilium 37. §. Indelicti ff. de minorib.* Excipitur tamen ab hac generali regula delinquens, qui sit in suprema aliqua dignitate, potestateq; constitutus, cuius accusatio durante eo munere regulariter intentari, aut saltem examinari non potest, l. *qui accusare 8. ff. de accusat. & l. si adulterium 38. in fine ff. adleg. Jul. de adulter.* Item excipitur qui jam semel fuerit de aliquo crimine accusatus & legitime absolutus: hic enim iterum de eodem crimen non imputetur, c. *De his 4. de accusation.* Demum excipitur quasi beneficio cuiusdam præscriptionis qui crimen aliquod commiserit ante 20. annos, totoq; eo tempore nunquam fuerit ejus criminis accusatus, l. *Querela 12. C. ad leg. corn. de fal- sis & tradit Farinac. in praxi crim. p. 1. tit. 1. de it- quis. q. 10.* dummodo tamen crimen totum transierit, & non habeat tractum successivum, quem habet v.g. crimen hæresis, Apostasie, ma-

trimo-

rimonii contra Sacros Canones contracti  
&c. in quibus quis persistit, adeoque deli-  
stum continuat ut notat Zoes. ff. de accusation.

num. 27.

9. Quod attinet ad modum procedendi in  
judicio criminali accusatorio, proportionaliter  
idem ille servatur, qui in judicio civili, de quo  
dictum est in libro præced. paucis quibusdam  
exceptis, quæ in titulis ejusdem libri præceden-  
tis congruo loco notata sunt. Inter hæc illud  
potissimum recensetur, quod ut paulo ante di-  
ximus, multo clarior & evidentior probatio re-  
quiratur in criminalibus, majorq; libertas con-  
cedatur Reo defendendi causam suam, etiam  
postquam in illa conclusum est: & quod quam-  
vis actio civilis permittatur per Procuratorem  
tractari; id tamen in actione quæ criminaliter  
agitur, regulariter prohibetur tum ad defen-  
dendum, tum ad accusandum, exc. Veniens 15.  
de accusat. & l. penult. §. fin. ff. de publ. judiciis, ex-  
ceptis aliquibus particularibus casibus quos no-  
tavimus in tit. 3. libri præced. Periculum enim  
esset facile eludendi eam actionem si vel accusa-  
tor vel Reus posset eidem non personaliter, sed  
per Procuratorem adesse: quia & accusatus faci-  
le subterfugeret pœnam illam capitalem, vel  
aliam corporalem, qua post probationem cri-  
matis puniri meretur: & accusator pœnam ta-  
lionis, aut (ubi ea in desuetudinem abiit) aliam

T 5

arbi-

arbitrariam, quæ illi infligitur, si inventus fuerit in accusatione calumniator.

10. Si igitur accidat absentem aliquem deferri, (quod in Jure permisum est, saltem quoad receptionem nominis inter Reos, ut colligitur ex l. Nullus 2. §. Ex longinquο C. de exhiben. Reis) recipitur ea delatio, sed in causa regulariter non proceditur, & multo minus ad sententiam damnationis devenitur, donec accusatus personaliter advenerit, ex l. Absentem. C. de accusat. juncta ibid. Glos. v. Non posse, ad id coactus, si opus fuerit etiam per excommunicationis censuram, ne hac Juris æquitate ad commissi criminis impunitatem abutatur, Quod si ea pœna non obstante, contumaciter intra annum se Judici non præsentaverit, habebitur pro convicto, II. q. 3. c. Rursus 36. juxta lectum Glossæ ibid.

11. Quod etiam fortiori jure procedit, si accusatus, postquam personaliter interfuit contestationi litis, progressui judicij se subducat, & contumaciter absens fiat: tunc enim ratione contumaciæ damnabilioris, non obstante ejus absentia proceditur in judicio, & si de delicto liqueat, ad sententiam devenitur, supposito quod sententia sit talis generis, ut etiam in absentem mandari possit executioni, qualis est sententia privationis, depositionis, privationis ab off.



officio, &c. ut docet Abb. in c. Veritatis 3. de do-  
lo & contum. n. 20.

12. Cum autem æquitati consonum sit , ut  
ubi congruis juris remediis Rei malitia coer-  
etur, non negligatur malitia Accusatoris , cuius  
cæteroquin causa minus favorabilis est , ex cap.  
*Cum sunt. II. de reg. jur. in 6. & l. favorabiliores.*  
167. ff. eod. ideo sicut Reus, ita & Accusator con-  
tumaciter absens statutis in jure pœnis subjectus  
est, ut constat ex toto tit. ff. & C. ad S. C. Turpil-  
lian. Si igitur accidat Accusatorem instituta se-  
mel accusatione , & post litem contestatam , aut  
etiam ante litem contestatam, sed post datos fi-  
de jussores de lite prosequenda, aut etiam an-  
te datos fidejussores, sed post datum libellum,  
judicio se subducere , & ad probandum cri-  
men non comparere , abolitione non impe-  
trata, incidit in pœnam Turpilliani, hoc est no-  
tatur infamia cum multa quinque librarum  
auri, & si delicti qualitas postulat , ulterius et-  
iam punitur pro motu Judicis. Sumuntur hæc  
ex textu expresso in l. 1. & 2. C. ad S. C. Turpill.  
l. 1. ff. eod. & l. Prævaricationis 3. §. fin. ff. de  
Prævaricat. Consonat etiam textus in c. Li-  
cet in beato. 14. de accusat. ubi quibusdam Ca-  
nonicis non imputatur ad pœnam quod ab  
accusatione destitissent , quia non se ob-  
strinxerant vinculo inscriptionis : unde à con-  
trario sensu deducitur, quod si accusator desistat  
post

post inscriptionem, quæ de jure ponitur in libello accusatorio, punitur Turpilliano.

13. Duxi *abolitione non impetrata*. Nomine autem abolitionis hic intelligitur venia sive facultas desistendi ab accusatione, eamque Jurifæ in rubr. C. de *abolitionib.* communiter dividunt in generalem seu publicam, & specialem sive privatam. Generalis seu publica est quæ publice fit vel ipso jure, ut puta ratione feriarum pro certo tempore indictarum, vel ex decreto Principis ob diem insignem, aut publicam gratulationem &c. l. *Abolitio 7. cum seq. ff. ad Turpillian.* quamvis plerumque ejusmodi abolitio suspendat potius quam extinguat accusationem, cum finitis feriis permittatur Accusatori repetere Reum, dummodo id faciat intra 30. dies à die quo feriae finitæ sunt, l. *Aut privatim 10. ff. eod.* quia iis elapsis ulterius non auditur, ex l. 1. C. de generali *abolit.* Impune tamen, & contra motum Turpilliani omittit accusator etiam intra eos 30. dies Reum repetere, per textum l. *Si interveniente 12. ff. ad Turpill.* quia, ut ibidem dicitur, non videtur desistere, qui exemptum Reum non defert.

14. Hæc autem intelligenda sunt quoad accusationem jam antecedenter institutam antequam abolitio generalis interveniret. Cæterum si eo tempore quo generalis abolitio accusacionum indulgetur, alicujus causa criminalis nondum



dum agi cœpta fuerit per litis contestationem ,  
sed tantummodo oblatus fuerit libellus accusa-  
torius , tunc locum non habet prædictus esse-  
tus generalis abolitionis ; si finitis feriis ab ac-  
cusatione desistat , incidit in Turpillianum , ut  
sumitur ex l. 2. C. de gener. abolit. & ex l. penult. ff.  
ad Turpillian.

15. Abolitio specialis sive privata est omit-  
tendæ accusationis venia , quam privatim ac-  
cusator petit & impetrat à Judice qui de crimi-  
ne cognoscit , ut sumitur ex l. 1. §. Abolitio pri-  
vatim. ff. eod. & ex l. 2. C. de abolitionib. juncta ibid.  
Glos. v. à competenti. Ejusmodi abolitionem  
non pro omnibus delictis , nec in omnibus  
circumstantiis , neque cuilibet Accusatori Ju-  
dex pro libito dare potest. Non enim conce-  
ditur in crimine capitali , ex l. fin. Cod. ad Tur-  
pill. & particulariter in delictis numeratis in l.  
fallaciter 3. C. de abolition. ac præterea despici-  
endum Judici est utrum Accusator fallaci-  
ter & calumniosè in accusatione se gesserit ,  
quia tunc eidem abolitio non conceditur , per  
textum in ead. l. fallaciter , ne ejus fraus im-  
punita relinquatur. Item non conceditur  
abolitio , si Judex deprehendat abolitionem  
peti ab Accusatore per deceptionem vel cor-  
rupto pecuniis à Reo , ex l. 2. C. eod. ne vi-  
delicet ipse Reus commodum à sua pravitate  
reportet. Sed & universim nonnisi causa cog-  
nita

ta hujuscemodi abolitio conceditur à Judice , qui propterea perpendere secum diligenter debet , an per errorem seu temeritatem , seu calorem Accusator profluerit ad accusationem , unde hæc explanans Accusator abolitioni locum faciet , ex *end.l.2.*

16. Illud quoque juris in hac re servatur , ut ea causæ cognitio in ordine ad concedendam abolitionem fiat præsente etiam Reo , ut sumitur ex *ead. l.2.* quamvis non semper ejus assensus requiratur . Distinguendum enim est , utrum res sit integra ex parte Rei nec ne ? hoc est utrum carcères , verbera , catenas , tormenta passus fuerit : item utrum lis diu steterit , seu ultra 30. dies duraverit ; quia in his casibus , invito Reo , abolitio non conceditur ; secus autem re integra , & lite infra 30. dies instituta , ex cit. *l. fallaciter* , & *l. fin. ff. ad Turpill.* quia videlicet tunc per concessionem abolitionis parum vel nihil laeditur causa Rei , sicut laederetur si postquam ad prædictum statum causa deducta est , Accusator ex autoritate Judicis impune desisteret .

17. Adde aliquando neque sufficere consensum Rei . Si enim accidat occasione judicii criminalis , causa testimonii , vexata fuisse tormentis corpora ingenuorum licet plebeiorum , qui consciî & participes criminis non erant ; tunc abolitio à Judice non conceditur , e-  
tiam;

tiam si Accusator petat & Accusatus consentiat, excit. l. fallaciter, ne scilicet impune sit Accusatori absque sufficienti causa Testes illos tormentis exposuisse.

18. Accusator itaque vigore abolitionis ab instituta accusatione desistens, liberatur à Turpilliano. Sed & insuper privatur in posterum facultate accusandi de eodem crimen eundem Reum, per textum in l. Mulier. 4. ff. ad Turpill. nisi specialiter ipsi Princeps permitrat, ex l. i. C. de abolition. Quod etiam latius extenditur de Jure Canonico expresso in c. Licet 14. de accusation. ubi accusanti etiam citra vinculum inscriptionis, & postea accusationem non prosequenti perpetuum de eodem crimen silentium imponitur, ne super eodem illi de cætero liceat eundem Reum accusare, vel etiam infamare.

19. Extra casum impetratae abolitionis, & loquendo in puncto prosecutionis causæ criminalis, incumbit Accusatori onus probandi crimen objectum, ut supra dictum est. Quod si in ea probatione deficiat, tunc Reo absoluto incipit Judicis cognitio contra Accusatorem, examinando videlicet qua mente ductus idem Accusator processerit ad accusandum. In eo examine, si ex justa causa, & probabili errore ductum reperierit accusasse, eundem absolvere debet. Si autem in evidenti calumnia etum deprehenderit, seu scienter falsū crimen imposuisse,

se, legitimam pœnam ei irrogat, per textum  
in l. i. §. Sed non utique ff. ad Turpili. quæ poena  
olim ex lege Remmia (cujus mentio fit in l.  
Quæsum 13. ff. de Testib.) erat ut ipsi inureretur  
in fronte littera K. ut tradit Cujac. ad l. Iseni  
18. ff. Qui testam. facere poss. Sed cum postea  
eam pœnam abrogaverit Constantinus in l. Si  
quis in metallum 17. C. de pœnis, successit pœna  
talioris, de qua supra dictum est, appro-  
bata etiam in Jure Canonico 5. quæst. 6. cap. 2.  
ita vocata ex eo quia talis, seu similis illa sit,  
qualis esset pœna qua puniretur accusatus si  
convictus fuisset, ut explicat Abb in cap. super  
bis 16. de accusation. n. 8. aut ubi ea in desuetudini  
abiit, vel ubi ejusdem capax non est cal-  
umniator, alia pœna extraordinaria, præter in-  
famiam statutam 5. q. 6. cap. 1. & 3. nec non in l. qui  
non probasse 3. & l. nostris 8. C. de calumniatoriis.

20. Inde fit quod cum pœna canonica Cle-  
ricorum pro magnis sceleribus sit depositio ab  
Ordine, ex cap. tuae 6. de pœnis, si contingat  
Clericum inferioris Ordinis fuisse calumniato-  
rem contra Clericum Ordinis superioris, puta  
Subdiaconum contra Diaconum; tunc Subdia-  
conus in pœnâ calumniæ non solum deponitur  
ab Officio, sed etiam verberibus publicè ca-  
stigatus in exilium deportatur, ex cap. 1. de ca-  
lumniatoriis. quia videlicet sola depositio Sub-  
diaconi est minor pœna, quam depositio qua-

Diaco-



Diaconus puniretur si convictus fuisset, unde in supplementum alia etiam pœna præter depositionem imponitur Subdiacono calumniatori, ut post *Gloss.* in eod. cap. 1. de calumniat. notat Panor. ibid. num. 5. & Host. in sum. de calumniat. §. quali pœna calumniator.

21. Quod tamen dictum est, Accusatore non probante absolvit Reum, intelligi debet nisi eidem Reo sit indicenda purgatio, vel propter vulgatam infamiam, vel propter grave scandalum, vel propter vehementem suspicionem quorum quodlibet satis est ad purgationem indicendam, ex c. inter 10. §. attendentes de purgat. canon. unde in eisdem circumstantiis purgatio indicitur, etiamsi contra Reum infamatum nullus Accusator accedit, prout sumitur ex c. accedens 23. de accusatione. In casu autem purgationis indicet, Reus vel satis ostendit innocentiam suam ab objecto criminis, & tunc absolvit debet tum ab eodem crimen tum ab ejus infamia, innocentis declarari, & in pristinum statum restituiri, 2. quest. 4. c. habet 7. & c. ex tuarum 8. de purg. canon. Vel in purgatione deficit, & tunc eadem pœna punitur in Jure Canonico, ac si de crimen convictus esset, hoc est pœna depositionis ab omni officio, & beneficio Ecclesiastico, ex cap. cum P. 7. eod.

22. Ratio hujus Canonis ea communiter redditur à Canonistis cum Gloss. in c. insinuum

tum 13. de simon. v. perpetuo prives , & cum Abb. in c. accedens 23. de accusat. n. 4. quod præsumptio probabilis orta ex infamia contra Reum transeat per defectum purgationis in violentiam , & quod ratione hujus violentæ præsumptionis puniatur , ut convictus , ubi etiam non nulli conantur afferre rationem quare ita procedatur in Jure Canonico cum cæteroquin in Jure civili violenta præsumptio non sufficiat ad imponendam ordinariam criminis. Sed hac ratio non videtur usquequaque subsistens : quia etiam in Jure Canonico per textum expressum in c. litteras 14. de præsumpt. sola præsumptio etiam vehemens de criminе non satis est ad condemnationem , ut diximus in lib. præced. ubi de præsumptionib. Congruentiis igitur statutum illins c. cum P. refunditur in infamiam juris , & facti , qua laborat accusatus de gravicrimine , & in ejus purgatione deficiens : infamiam enim secundum se satis esse ut quis ab omni officio , & beneficio Ecclesiastico deponatur, tradit post Dynum Gloss. fin. in c. infamibus penult. de reg. jur. in 6. quod præsertim procedit postquam infamia quasi transivit in rem judicatam , sicut transit in defectu purgationis, ut sicut propter magnitudinem criminis infamatus, pendente ejus infamie judicio non solum promoveri nequit , c. omnipotens 4. de accusationib. sed etiam suspendi potest ab officio & beneficio;

cio, ex c. inter 10. de purgat. canon. ita & infamia transeunte in rem judicatam, ab omni officio, & beneficio deponatur. Consonat etiam Jus civile in l. infamia 8. C. de Decurionib. lib. 10. & l. Judices 12. C. de dignitatib. lib. 12. per quæ jura infames officiis, & dignitatibus civilibus etiam ante contractam infamiam acquisitis exuntur.

23. Quæ dicta sunt hactenus de purgatione, intelligenda sunt de purgatione canonica. Alia enim est purgatio vulgaris, alia purgatio canonica, ut constat ex toto tit. de purgat. vulgari, & tit. de purgat. canon. in Decretalibus. Purgatio vulgaris dicitur illa probatio, quam vulgus inventit, & usi introduxit, sed sacri Canones damnaverunt, vel quia per illam Deus tentari videtur, 2. q. 4. c. Monomachiam 23. & c. fin. de purgat. vulg. vel etiam quia per eam facile contingit, ut poena criminis refundatur in innocentem, ut sumitur ex c. 2. eod. Hujus prohibiti generis in Jure Canonico specialiter recensetur purgatio facta per Monomachiam sive duelum, cit. c. Monomachiam, & c. 1. de purgat. vulg. purgatio facta per contactum ferri carentis, vel aquæ ferventis sive frigidæ, c. Mennam. 8. §. fin. 2. q. 4. cap. consulisti 21. ead. cau. & q. & c. ex tuarum 8. de purg. canon. & sic de reliquis similibus videndis apud Doctores in tit. de purgat. vulg. quæ vel superstitiona sunt, vel fallacia, & incerta, & propterea prohibita, ac nisi per

per ignorantiam invincibilem, aut per specialem Spiritus Sancti instinctum hic & nunc excusentur, peccaminosa.

24. Sola igitur illa purgatio, quæ Canonica dicitur, quia per Sacros Canones inducta est, adhiberi potest ad detegendum crimen, vel innocentiam infamari. Ejus autem forma descripta in cap. quoties 5. de purg. canon. in eoque consistit, quod purgandus juret primum super Sancta Dei Evangelia, se neque per seipsum, neque per submissam personam commisso delictum, cuius infamia laborat, nec aliquem alium pro eo se sciente; sed & insuper testes aliquot jurent, quod veritatem eum dicere credunt, qui purgatur, unde vocantur Compurgatores, eorumque juramentum dicitur juramentum credulitatis, ex c. de testibus 13. eod. cum è converso juramentum purgandi dicatur juramentum veritatis.

25. Illud autem hac in re diligenter curandum est Judici, ut tam purgando, quam compurgatoribus faveat undequaque præsumptio, quod non sint peieraturi: quare ad hoc genus probationis purgandus non admittitur, nisi aliunde sit persona honesta, nobilis, vel ingenua: secus si sit persona vilis, aut aliunde infamis, qualis est v.g. qui fuerit alias furti damnatus, vel perjurus fuerit, vel falsum testimonium dixerit, juxta textum in c. 1. de purg. canon. cuius

ius generis personæ ad juramentum non admittuntur, sed purgantur aliter ad arbitrium Judicis, ut ibid. docet *Glos. fin.*

26. Idem quoque juris servatur in compurgatoribus, qui debent esse talis honestatis, & opinionis, ut verisimile sit eos nolle amore, vel odio, vel spe obtainendæ pecuniaæ peierare. Sed & ut idonei appareant, necesse est, ut ejus quem purgare debent, vitam & conversationem agnoscant, ut habet *textus in cap. cum P. 7. & cap. inter 10. §. ipsum igitur. de purg. canon.* Item de jure communi debent esse ejusdem Ordinis cum purgando, ut si hic sit Episcopus, etiam Compurgatores sint Episcopi; si Presbyter, sint Presbyteri, & sic de reliquis: dummodo eorum copia haberi possit, & purgando non sint aliunde inimici, quia in ejusmodi casu admittuntur etiam alii inferioris Ordinis ad compurgandum, imo & in defectu Clericorum, etiam laici honesti, & in defectu virorum, etiam foeminæ, ex *cap. cum in juventute 12. eod. juncta ibidem Glos. fin.*

27. Quod attinet ad numerum Compurgatorum, servatum olim fuit, ut Episcopus adhuc 12. Episcopis se purgaret, Sacerdos adhibitis tribus, vel quinque, vel septem Sacerdotibus, Diaconus tribus aliis Diaconis, *cap. omnibus 20. & c. si legitimi 13. 2. q. 4.* Ratio autem quare pro majoribus statutus esset major numerus

compurgantium , quam pro minoribus , affer-  
tur à Panor. in supracit. c. inter 10. de purg. ca-  
non. quia maiores habent notitiam plurium , &  
facilius propter potentiam inveniunt Compur-  
gatores , quam minores , qui nec habent tot  
notos , nec facile possunt alios inducere ad se  
purgandum , quia Compurgatores sunt volun-  
tarii , & non possunt compelli sicut alii Testes.  
**A**dde & aliam congruentem rationem: quia quo  
altioris Ordinis aliquis est , eo magis est expo-  
situs oculis reliquorum , ejusque bono , vel ma-  
lo nomine , & exemplo , populus facilis exci-  
tatur : congruum igitur fuit , ut si quando ali-  
quis ejusmodi purgandus esset ab infamia , qua  
aspergebatur , manifestius purgaretur , multipli-  
catis Testibus innocentiae suæ . Hodie tamen  
numerum Compurgatorum esse arbitratum  
Judici , habito respectu ad criminis enormita-  
tem , qualitatemque personæ , & infamiae docet  
ibid. idem Abb. post Gloss. in eod. cap. inter. v.  
quarta decima manus.

## T I T. II.

*De Denunciationibus.*

I. **A**lter modus instituendi criminales causat  
juxta sacros Canones (ut in præced. tit. di-  
ctu fuit ) est denunciatio , quo nomine intelligi-

etur,

ur ; criminis manifestatio legitimè facta Supe-  
riori sine inscriptione, ut sumitur ex Host. in sum.  
de denunciationib. §. quid sit denunciatio. Modus  
hic instituendi criminale judicium in eo differt  
ab accusatione , quòd in hac Accusator sese in-  
scribat ad probandum crimen , & ideo adesse  
non possit per Procuratorem , sed personaliter ,  
ut in ptaçed. tit. dictum est ; secùs in denun-  
ciatione delator : unde postquam iste , sive per  
se , sive per Procuratorem crimen detulerit ; re-  
liqua omnia judicii , & processus criminalis  
sunt à Judice ex officio suo expedienda : & pro-  
pterea denunciatio dicitur à Juristis remedium  
extraordinarium , quia attento Jure civili scri-  
pto regulariter procedi non potest in criminale-  
bus , nisi ad instantiam Accusatoris , exceptis  
quibusdam casibus in Jure permissis , ut tradit  
*Jul. Clar. lib. 5. receptar. sentent. q. 7. n. 1.*

2. Dixi attento jure civili scripto : quia vigo-  
re consuetudinis videtur denunciatio jam tran-  
sisse in remedium ordinarium ; cum sacerularis  
etiam fiscus soleat constituere Advocatos , vel  
Syndicos fiscales , qui quælibet crima denun-  
ciant , ac deinde Judices procedunt ex officio  
suo. De Jure tamen Canonico dici debet denun-  
ciatio simpliciter & absolute remedium ordi-  
narium , quia generaliter concessa est in  
cap. qualiter , ¶ quando 24. circa finem , cap.  
super his 16. de accusationib. c. licet Heli 31. de fin.

&amp;

& docet Azor. p. 3. lib. 13. cap. 21. dub. 3.

3. Quamvis tamen denunciator non se inscribat ad pœnam, ut dictum est; illud Juris statutum est ad coercendam facilitatem calumniandi, quæ oriri poterat à sublatione inscriptionis, ut si postea in judicio nihil de criminibus denunciatis probatum fuerit, denunciator ab officio, & beneficio suspendatur, donec suam purgaverit innocentiam, scilicet, quod non calumniandi animo ad crimina proponenda processit, ut habet textus in c. fin. de calumniat.

4. Hæc dicta procedunt potissimum quoad denunciationem judicialem. Dividitur enim communiter à Canonistis denunciatio in quadrigariam, ut videre est apud Panor. in c. nov. q. de Judiciis n. 33. in fine, ut alia sit Evangelica quæ etiam dicitur charitativa: alia judicialis; alia Canonica quæ videlicet per Sacros Canones est introducta; alia regularis qua proceditur in Religiosis Ordinibus contra Regulares juxta eorum Constitutiones, & Regulas. Sed quia ipsa Canonica, & Regularis, vel est judicialis, vel Evangelica; ideo congruentius dividi denunciatio universaliter potest, prout dividitur Theologis, in Evangelicam, & Judicalem.

5. Denunciatio Evangelica est, qua crimen defertur ad Superiorem tamquam ad Patrem, ad privatam emendationem proximi delinquentis, ex charitate procedens: fierique illa de;



dub. 3.  
a se in-  
ris sta-  
calum-  
nscript-  
inibus  
ator ab  
ec suam  
aon ca-  
da pro-  
t.  
quoad  
ur enim  
n qua-  
rovit. 1.  
ngelica  
cialis;  
anones  
ditur in  
s juxta  
ua ipsa  
lis, vel  
denun-  
ditur a  
m.  
crimen  
atrem,  
delin-  
que illa  
de:  
Iebet juxta ordinem institutum à Christo Do-  
mino Matth. 18. in illis verbis: *Si peccaverit in  
frater tuus &c.* Denunciatio judicialis ( quæ  
potissimum huc spectat ) est qua crimen defer-  
tur ad Superiorē tanquam ad Judicem ; fieri-  
que illa aliquando solet, vel civiliter, ut cum per  
ipsum privatum dumtaxat interesse aut satisfa-  
ctio intenditur; vel criminaliter, ut cum inten-  
ditur publica vindicta , seu pœna ob utilitatem  
publicam, & in hoc sensu procedit illa judicialis  
denunciationis divisio , quam Doctores tra-  
dunt, ut alia sit judicialis denunciatio civilis, seu  
privata, alia criminalis, seu publica.

6. Quod attinet ad crimina, personas, & con-  
ditiones in denunciatione servandas , distin-  
guendum est inter forū sacerdotiale, & Ecclesiasti-  
cum. In foro sacerdotali admittitur de jure de-  
nunciatio judicialis publica delictorum ad  
idem forum pertinentium , quæ procedat ab  
Officialibus publicis ad hoc munera deputatis,  
*ex l. ea quidem 7. C. de accusat.* Quinimo de  
consuetudine satis communiter recepta admit-  
titur quoque procedens à quacumque persona  
privata, quia publicæ utilitatis est notitiam de-  
lictorum quocunq; modo ad Judicem perveni-  
re, ne permaneant impunita, ut testatur *Clar. in  
cit. qu. 7. num. 2.* Denunciatio autem judicialis  
privata, per quam agitur ad interesse privatum  
denunciantis , admittitur de jure civili , si

V

proce-



procedat ab eo cuius interest , supposito quod agere sive accusare sit prohibitus , ut puta quia est servus , & conqueritur de Domino , quia est filius , & conqueritur de patre &c. ex l. i. §. quod autem ff. de off. Pref. Urb. Abb. in c. novit. i. de judic. n. 48. aliquique communiter. Aequitatem enim est , ut qui via ordinaria exclusus est à suo jure prosequendo via saltem extraordinaria admittatur.

7. In foro Ecclesiastico denunciatio Evangelica , seu charitativa admittitur generatim , & indistinctè à quocumque fiat , quia omnibus generatim præceptum est à Christo Domino , ut quod in ipsos frater peccavit Ecclesiam dicant , si ex privata monitione non resipuerit , Matth. 18 Denunciatio etiam judicialis in eodem foro admittitur à quocumque procedat , dummodo quis non sit publicus concubinarius , si præfertim fuerit præterea excommunicatus , aut dummodo non sit conspirator inimicus contra denunciatum , aut juramenti præstigi transgressor , aliisque criminibus irretitus : hi enim sicut ab accusando , & testificando , ita & à denunciando judicialiter repelluntur ex c. cum porteat 19. & seq. de accusat.

8. Item quod attinet ad qualitatem criminum , & personarum denunciandarum , ejusdem generis denunciatio in eodem foro non admittitur , nisi ubi crimen est Ecclesiastici , vel

mixti fori, aut ubi persona denuncianda est specialiter subjecta Ecclesiæ , qualis est Clericus , vel ubi in foro sacerdotali deficit Judex , qui justitiam administret , & sic de reliquis similibus , quæ videri possunt distinctè narrata apud Azor .  
p.3.lib.13.cap.21.dub.4.

9. Cum autem denunciatio sit præambula inquisitioni facienda per Judicem ex officio ; inde fit , per ejusmodi denunciationem deferri non posse regulariter nisi crimen , quod in foro exteriori probari possit , & regulariter nisi de quo aliqua infamia orta sit : siue sermo sit de denunciatione facienda in foro Ecclesiastico , siue de facienda in foro sacerdotali . Frustra enim & cum solo famæ dispendio , adeoque injustè ad Judicem deferretur crimen ex ejus officio puniendum ubi nulla eidem suppeteret via illud cognoscendi , & prosequendi inquisitionem . Secus videtur asserendum pro denunciatione Evangelica , quæ cum non tendat ad poenam , sed solum ad privatam emendationem denunciati , locum habere videtur , etiam ubi crimen pro foro exteriori probari non posset .

10. Questionis est utrum ante omnem & quamlibet denunciationem , præcedere semper necessario debeat monitio privatim facta ? Ratio dubitandi est : quia in c. Qualiter & quando circa finem de accusat. habetur , quod si-  
c. vel mixt.

V 2.

in-

**inscriptio**, & inquisitionem clamosa insinuatio seu infamia, sic & denunciationem charitativa monitio prævenire.

ii. Hanc quæstionem ex pluribus quos refert, resolvit Azor. in cit. cap. 21. dub. 5. per distinctionem multiplicem. Vel sermo est de denunciatione quæ fiat in foro sacerdotali, vel defacta in foro Ecclesiastico. Ad denunciationem judicialem primi generis sive generalem, sive specialem & privatam, docet non necessario prærequiri monitionem privatam : item nec ad denunciationem judicialem, quæ fiat in foro Ecclesiastico ( quam Canonistæ & legista Canonicam appellant, hoc est per Canones inductam ) si generalis sit : secus autem si sit specialis, pro qua cum communi sententia docet opus esse præcedenti monitione, sive hæc triplex esse debeat, juxta sententiam Innoc. Host. & aliorum in c. Novit. 13. de judic. sive sufficiat esse binam, juxta sententiam Panor. in eod. c. Novit. n. 5. semel privatim & secreto inter te & ipsum solum secundo coram uno vel duobus testibus, juxta ordinem prærequisitum ad denunciationem Evangelicam.

## T I T. III.

## De Inquisitionibus.

1. **T**ertius modus instituendi & prosequendi causas criminales est *inquisitio*, *criminis* nempe *ex officio* à *Judice competente* legitimè facta *investigatio*, prout describitur ab Host. in *Sum. de inquisitionib.* Dicitur *ex officio*, quibus verbis ab accusatione discernitur in qua *Judex* procedit ad instantiam *Accusatoris*, cum è converso in *inquisitione* nomine instantे, sed ex vi muneris sui inquirat de criminе, ut sic ad plenam probationem sententiamq; perveniat, sive id faciat occasione denunciationis ab aliquo facta, sive dumtaxat ex vi famæ præcedentis.

2. Dicitur à *Judice competente*. Pro quo, ut *inquisitio* valida sit, opus est ut *Judex* non solum simplici jurisdictione fungatur, sed etiam *jus gladii* habeat seu merum imperium, de quo dictum est in *lib. præced. tit. de Judice* circa finem; ac præterea necesse est ut suæ jurisdictioni subjectum habeat *Reum* contra quem inquirit, & articulum super quo inquirit: alioquin *inquisitio* invalida est, quia extra territorium *jus dicenti* non paretur impune, c. 2. *de constit.* m. 6. & toto tit. C. si à non compet. *Jud.* ac præterea *inquisitio* facta à *Judice* sacerdotali contra

Ecclesiasticam personam nulla est, quia Clerici nec civiliter nec criminaliter conveniri possunt coram Judice sacerdotali, ut diximus in lib. 2. tit. de immunit. Ecclesiar. & docet Farinac. in praxi crimin. p. 1. lib. 1. tit. 1. q. 1. n. 55.

3. Modus hic procedendi, ex dispositione Juris Canonici, extendit se ad omnia crimina, utpote indistinctè concessus in cap. Qualiter & quando 24. de accusat. & cap. licet Heli. de Sim. At in foro sacerdotali, attento jure civili scripto, non potest regulariter Judex ex officio inquirere super delictis, nemine accusante, nisi in casibus & delictis exceptis, quorum aliqua numerantur à Gloss. in l. 1. §. Ex publico f. ad leg. Jul. de adulter. v. sine accusatore: quamvis attento jure consuetudinario communiter recepto procedatur etiam in eodem foro per inquisitionem ex officio in omnibus delictis, ita que illa sit remedium ordinarium, ut testatur Clar. lib. 5. §. Practica criminalis q. 3. n. 6.

4. Inquisitio universim sumpta dividitur communiter solet à Canonistis in tres species. Prima est omnino generalis seu generalissima, per quam nullo particulari crimine, nullaque particulari persona expressa, generatim inquiritur ex mero officio Judicis, an committantur, nec ne crima in aliqua communitate? an de ullo fama vel suspicio ullius criminis? Hoc genere inquisitionis utuntur Prælati & Superioris in visita-

visitacione Provinciæ & locorum subjectorum. Altera est omnino *specialis*, per quam super certum crimen inquiritur contra certam personam ut cum super homicidio facto inquiritur contra Titum, an illud commiserit. Tertia est *mixta*, id est partim *specialis*, partim *generalis*, qualis est quæ generalis est circa personam & specialis circa delictum, ut cum de particulari homicidio commisso inquiritur generaliter, quisnam illud commiserit? aut quæ est *specialis* circa personā & generalis circa delictū, ut cum inquiritur an Titus ullo se crimine maculaverit?

5. Quod attinet ad inquisitionem omnino generalem, recepta communiter à Doctoribus sententia est, fieri illam posse etiam si nulla præcedat infamia, nullumque indicium criminum commissorum, arg. desumpto ex cap. 1. de off. Ordin. & cap. 1. §. s. ne de censib. in 6. ubi præcipitur generatim Prælatis Ecclesiasticis & Superioribus, ut suo tempore faciat visitationes & inquisitiones generales, nulla habita mentione infamiae præcedentis. Incommodum enim esset & Reip. perniciosum, si Prælatis hoc remedium indistinctè non suppeteret ad purgandam Remp. moresque subditorum reformatos; cum præsertim per hoc genus inquisitionis nemini injuria fiat, utpote per quod contra neminem in particulari inquiratur. Utru autem in eo casu teneantur aut possint subditi manifestare occulta delicta Superiori genera-

liter inquirenti ad effectum illa puniendi, vide-  
ri potest examinatum apud Authores, quos re-  
fert Less. lib. 2. de Just. c. 29. dub. 13. n. 109.

6. Quod spectat ad inquisitionem specialem,  
indubitati juris est, non posse illam unquam  
incipere à solo Judice, sed opus esse ut aliquid  
præcedat, quod inquisitioni viam aperiat, Ju-  
dicemque cogat ad procedendum ex officio.  
Primò enim constare ipsi debet de criminis an-  
fit commissum: unde si vestigium aliquod ejus-  
dem criminis relictum sit, quale relinquit ho-  
micideum, incendium, perfosso domus &c.  
debet prius Judex illud inspicere, aut curare ut  
inspiciatur. Si autem nullum vestigium reli-  
ctum sit, saltem opus est denunciatione vel que-  
rela ejusdem criminis.

7. Secundò ubi jam constat de delicto, an-  
tequam inquiratur contra certam personam, o-  
pus saltem est ut aliquid indicium militet con-  
tra ipsam, ut docet Clar. in loco supracitato q. 5.  
ex Innoc. & aliis. Sed neque vigore talis indi-  
cii potest Judex immediatè procedere ad inqui-  
rendum de veritate contra eandem personam,  
ad effectum illam puniendi, nisi contra ipsam  
fama publica loquatur originem habens à per-  
sonis honestis fideque dignis, & non à malevo-  
lis vel improbis hominibus, ex c. Qualiter &  
quando 24. & c. Inquisitionis 21. §. Tertia. de ac-  
cusat. Quare habitu indicio, capienda sunt pri-  
mum

num informationes an sit fama de illa persona, idque ea majori qua fieri potest circumspetione atque prudentia, ne per illam ipsam inquisitionem de infamia, ejusdem personæ famam cæteroquin integrum lœdi contingat, atque inde nascantur injuriæ unde jura nascuntur, ut dicitur in c. Qualiter 17. eod.

8. Quod si hoc Juris ordine non servato procederet Judex, legitimè contra ipsum exciperet inquisitus, & appellatio interponens ea quæ interim à Judice fierent invalidaret: quamvis si præsens sit, & nihil excipiat cognoscens contra se nullatenus infamatum inquire de veritate, processus validus sit per textum expressum in cap. 1. & 2. eod. in 6. quia scilicet in eo casu censetur renunciasse juri suo, quod est in ejus favorem introductum.

9. Hæc tamen doctrina de necessitate infamiae præcedentis, intelligenda est regulariter & extra casus exceptos, quales numerantur plures à Doctoribus, ut videre est apud Less. lib. 2. de Just. cap. 29. dub. 15. num. 124. & seqq. Inter reliquos est, si inquirendum sit de criminibus, quæ sint maximè noxia Reip. & ex quibus impendat aliis periculum eversionis, ut puta de crimine hæresis, & apostasie, in quibus præcedente dumtaxat suspicione aliqua orta ex indiciis non levibus, inquiritur etiam sine infamia, ut docet Navar. in rubr. de Judiciis num.

n.93. & colligitur ex cap. Excommunicamus 13. §.  
*Adiicimus in iis verbis vel aliquos occulte con-*  
*venticula celebrantes de hæret. & L. Apostatarum*  
*4.C.de Apostatis : nec non de criminе læsæ maje-*  
*statis, per extrav. Henrici VII. Imperatoris, quæ*  
*incipit Ad reprimendum, & habetur post librum*  
*Feudorum, juncta ibid. Glos. v. Inquisitionem: &*  
*sic de similibus enormibus delictis, quæ tendunt*  
*in grave damnū spirituale vel temporale Reip.*

10. Item casus exceptus est , ubi inquisitio  
 non fit ad effectum puniendi delictum, sed so-  
 lum ad impediendum malum, ut cum agitur de  
 officiorum aut beneficiorum collatione, de ma-  
 trimonio contrahendo &c.. tunc enim etiam de  
 delictis occultis inquire potest, licet de illis nul-  
 lus sit rumor ; ita tamen ut eadem delicta per-  
 maneant quantum fieri potest occulta, & parca-  
 tur famæ inquisiti. Vide Navar. in loc. cit. n.92.

11. Item aliis casus est ubi publica criminis  
 suspicio est contra aliquem, licet aliunde non  
 infamatum: quia communis illa suspicio sup-  
 plet vicem infamiae; ut ibid. docet Navar. n.96.  
 ut puta si Dominus inveniatur occisus , &  
 ignoretur author, inquiritur contra servum ex  
 L. 1. ff. ad S. C. Silanianum : aut ubi Judici vel  
 per generalem inquisitionem , vel per confes-  
 sionem Rei factam in judicio , vel per denun-  
 ciationem publici Officialis patefactus est au-  
 thor criminis, etiam si testis forte peccaverit a-

per

periendo illud crimen : quia ex quo crimen deductum est in publicam Judicis notitiam , procedit contra illud Judex particulariter inquirendo , ex eod. Navar. *ibid. n. 87.* In ejusmodi enim casibus intervenit notorium juris , quod plus est quam infamia , cum infamia non probet , sed tantum accuset , at notorium sive juris sive facti probet saltem semiplene. Vide Less. *in cit. cap. 29. dubit. 15.*

12. Ubi igitur de alicujus infamia 'satis constet , vel ubi aliqua ex iis circumstantiis interveniat , pro qua non est opus publica infamia præcedente , Judex illum interrogat de veritate criminis si est præsens , ut si fateatur , illum puniat ; si neget , ut inquisitionem contra eum formet : si est absens , præcipit ut citetur ad personaliter comparendum , etiam ( si opus sit ) per realem capturam : quia inquisitio specialis procedit dum taxat contra præsentem , nisi se consumaciter absentaverit , per textum in *cap. Qualiter & quando 24. de accusat.* ubi insuper pro legitimo modo prosequendæ inquisitionis præcipitur , ut inquisito exponi debeant capita- la de quibus erit inquirendum , ut facultatem habeat se ipsum defendendi , & non solum dicta sed etiam nomina testium sint ei publicanda , ut quid & à quo sit dictum appareat , necnon exceptiones & replicationes legitimæ admittendæ , ne per suppressionem nominum præbeantur

beatur audacia infamandi , per exceptionum autem exclusionem aperiatur occasio falsum deponendi.

13. Illud autem hac in re diligenter curandum est Judici , ut ad sententiam damnationis non perveniat , nisi contra inquisitum de veritate criminis dentur probationes luce meridiana clariores , ut pluries in superioribus indicatum est ex l. *Absentem 5. ff. de pœnis & l. fin. C. de probationib.* Quare nec de suspicionibus damna- ri debet inquisitus , nec de indicis , quamvis cæ- teroquin inducentibus violentam præsumptio- nem: quia quamdiu sistitur intra terminos præ- sumptionis non habet certitudo.

14: Hoc tamen intelligendum est de damna- tione propriè dicta , per quam infligitur pœna criminis correspondens. Cæterum facultatem Judicis non excedit , etiam ante plenam prob- ationem criminis , aliquo tormenti genere ex- ercere Reum in subsidium probationis , ut vide- licet eo tormento mediante ipse Reus , confiten- do veritatem , suppleat quod requiritur ad comple- mentum probationis , quale genus tor- menti ad illum finem adhibiti vocari solet Tor- tura : quamvis etiam pro ipsa certi sint fines præstituti , ut neque in omni circumstantia , nec ex quolibet commissi criminis indicio adhiberi possit , ut constat ex toto tit. ff. de quæstionib. Pri- mo enim ex l. *Edictū 8. ff. eod.* non adhibetur nisi in



in criminibus gravioribus , quorum poena fit mors, vel mutilatio , vel triremes &c. ne aliquin poena torturæ major sit , quam poena, qua crimen ipsum ( si probaretur ) puniendum esset, ut accideret si adhiberetur in criminibus levioribus.

15. Secundò non adhibetur , nisi Reus torqueri possit: quia de jure aliqui prohibentur torqueri, ut puta ob ætatem impuberes , hoc est qui 14. annos non impleverunt , l. de minore 10. & l. Ex libero 15. ff. eod. ob debilitatem senes, ob periculum abortus mulieres prægnantes, ob privilegium viri illustres aut in dignitate constituti, & sic de reliquis , de quibus Antonius Gomez. resolut. 10. 3. cap. 13. num. 3. & clar. qu. 64.

16. Tertio non potest subjici Reus torturæ, nisi vel fuerit semiplene probatum ejus crimen, ut puta per depositionem unius testis omni exceptione majoris , qui deponat de proprio visu &c. vel saltem nisi sufficientia indicia militent contra ipsum: quia ex c. cum in contemplatione 6. de reg. jur. in ipso causæ initio non est à questionibus ( hoc est à tormentis ) inchoandum.

17. Dixi sufficientia indicia. Juristæ enim quinque gradus indiciorum distingunt, quorum aliqui sufficiunt, aliqui non sufficiunt ad torturam, ut videre est apud Less. lib. 2. de Just.

*cap. 29. dub. 17.* In primo gradu infimo sunt levia, probabilia tamen, quæ de authore criminis probabilem ingerunt suspicionem. In secundo gradu sunt probabiliora, quæ præsumptionem generant. In tertio sunt indicia gravia, quæ vocantur etiam indicia iuris atq; legitima. In quarto sunt graviora, quæ semiplene probant. In quinto sunt indicia gravissima, quæ etiam appellantur indubitata.

18. Primi & secundi gradus indicia non sufficiunt ad torturam, sed solum ad informaciones capiendas, & etiam ad realem capturam personæ; sufficiunt autem indicia gravia & graviora aliorum graduum: cuiusmodi sunt fama publica aliquibus aliis adminiculis juncta, ut si accedat aliquis testis minus idoneus: confessio Rei extrajudicialis probata per duos testes omni exceptione maiores: assertio duorum vel trium sociorum criminis, ubi suspicio non est illa ex malevolentia proficiendi; dictum enim unius socii utpote testis minus idonei non sufficeret, nisi esset simul conjunctum cum infamia vel gravi suspicione; imo nec assertio vulnerati in ea usque ad mortem persistentis, ex l. si quis 3. f. ad S. C. Silanian. tum quia non dixit juratus ut solent dicere testes, tum etiam quia præsumitur ex offensione aliqua vel errore dixisse.

19. Item fuga statim patrato scelere inita con-

conjuncta cum fama vel suspicione communī, ex l. Lege Cornelia 25. ff. eod. Inimicitia gravis cum aliis indiciis ab ea pendentibus, ut si ante minatus est, arma paravit, eoque tempore circa illum locum visus est, quo homicidium est cōmissum &c. Inconstantia & titubatio Rei dum examinatur, spectata qualitate personæ & cauſæ. Si quis visus fit exire cum ense stricto ex aliquo loco, ubi reperiatur aliquis imperfectus. Si res sublata reperiatur apud Inquisitum, nec docere possit unde eam habeat, supposito quod sit persona vili & malæ famæ. Demum si commissio aliquo gravi furto, viliis persona quæ ibi frequenter versari solet, appareat repente dives &c. & sic de reliquis similibus, quæ ex Gomez. to. 3. c. 13. & ex Clar. q. 21. refert. Less. in cit. c. 29. dub. 17: & Azor. p. 3. lib. 13. cap. 26.

20. In ejusmodi autem casibus à Jure permisita quæſtio seu tortura adhibenda est, ut eidem neq; semper neque numquam sit fides habenda: nam ut dicitur in l. 1. §. In causa tributorum ff. de quæſtion. res est fragilis & periculosa, & qua veritatem fallat: nam plerique patientia sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit alii tanta sunt impatientia, ut quovis mentiri, quam pati tormenta velint & ita fit, ut etiam vario modo fateantur ut non tantum ſe, verum etiam alios criminentur. Iude factum est, ut ad dannandū inquisitū non fatis

satis sit eundem in tormento fuisse confessum crimen, nisi etiam procul à tormento suam confessionem ratificet : quamvis si illam revocet, possit iterum, & etiam tertio quæstioni subjici, non autem ulterius ; quia , ne in acta tam odioso procedatur sine termino , si tertio tortus tertio etiam confessionem in tormento factam rovocavit , damnari non potest, imo debet absolvi, ut docet Gomez. in loco supra citato n. 27. & Jul. Clar. quæst. 21. num. 36. relatus ab Azor. in cit. cap. 26.

21. Hactenus dicta de non damnando ex indiciis Reo, procedunt potissimum quoad damnationem , per quam imponatur poena, quæ probato crimine imponetur. Cæterum si indicium aliquod gravissimum contra Reum detur, unde violentissima capiatur præsumptio ; tunc Reum illum puniri posse poena aliqua extraordinaria minori, prout Judici videbitur & causa postulabit , receptum esse restatur Clar. ibid. num. 40. ubi etiam addit positum esse in arbitrio Judicis, Reum in eo casu vel gravi quæstioni subjicere , vel punire poena aliqua extraordinaria minori. Item quod dictum est, neminem ex indiciis puniri debere poena criminis ordinaria, intelligendum est extra particulares aliquos casus à legibus approbatos , quos enumerat Less. in cit. cap. 29. dub. 17. in fine.

22. Adde ex æquitate canonica expressa in

c. III.



Inquisitionis 21. §. 1. de accusationibus, inquisitum atque convictum, non semper punendum necessario esse illa pœna canonica, qua puniretur, si fuisset criminaliter accusatus atque convictus. Distinguitur enim ibi, utrum crimen de quo aliquis inquisitus, & convictus est, sit talis generis, ut impedit executionem suscepti ordinis aut retentionem beneficii etiam post peractam poenitentiam, quale est v. g. crimen homicidii utpote irregularitatem inducens, aut simonia commissa in assecutione Ordinis seu beneficii; vel utrum sit talis generis ut post peractam poenitentiam non impedit Ordinis executionem aut retentionem beneficii. In primò casu inquisitus & convictus puniendus est eadem pœna canonica, qua puniretur, si contra ipsum processum esset per criminalem accusationem, videlicet depositione, cum sit canonice inhabilis ad illud officium vel beneficium. At in secundo casu potest judicantis discrecio moderari pœnam secundum personæ merita & qualitatem excessus. Rationem assignat Panor. ibid. quia in judicio inquisitionis proceditur sine accusatore: cum ergo Reus in uno gravetur, & quum est in alio relevari, & sic mitiorem pœnam ei imponi.

23. Demum quod attinet ad inquisitionem mixtam, quam diximus esse tertiam speciem inquisitionis, nihil tere difficultatis est, suppositis iis

iis quæ dicta sunt tum circa inquisitionem generalem, tum circa specialem, ex quibus illa veluti componitur. Illud tamen in controversiam vertitur circa ipsam à Doctoribus- utrum de delicto particulari certo ac publico, cuius author ignoratur, licitum sit Judici generaliter inquirere contra personas, quis illud fecerit, quamvis cæteroquin de ejusdem criminis authore nulla sit infamia, nullum indicium?

24. In hac controversia quamvis aliqui Theologi (quos citat Less. in cit. c. 29. dub. 14. n. 113.) senserint id non esse licitum, eo argumento ducti, quod juxta Sacros Canones per inquisitionem non procedatur, nisi de authore sit fama, vel saltem indicia, ex c. qualiter & quando 24. c. Inquisitionis 21. & c. Cum oporteat. 19. de accusat. attamen recepta praxis in foro Ecclesiastico & seculari contrarium suadere videtur, dummodo inquiratur in genere, quis delictum fecerit? non autem in particulari, an illud fecerit Petrus, nisi de eo sit aliqua fama, vel indicia, de quo videatur sermo esse in citatis juribus. Huc etiam facit ratio qua probavimus, pro inquisitione omnino generali non esse opus infamia vel indicis præcedentibus: quia videlicet nisi tales inquisitiones fierent, gravissima sequerentur in Remp. incommoda, & aliunde ex ejusmodi inquisitionibus nemini sit injuria, cum contra neminem in particulari inquiratur, atque ita hanc

hanc sententiam docet Innoc. in c. Bonæ 23. de e-  
lect. n. 5. Less. cit. cap. 29. dub. 14. Farinac. in præ-  
xi crim. p. 1. lib. 1. de inquisit. tit. 1. q. 9. n. 18. alii-  
que plures.

25. Per ejusmodi autem inquisitiones via Ju-  
dici aperitur ad inquisitionem specialem: nam  
primo interrogat eos quos putat esse de crimi-  
nis authore non ignaros , an sciant quis illud  
commiserit? Quod si omnes dicant se nescire,  
tunc interrogat eos generaliter de fama: an sit  
aliquis de eo infamatus? & si ex ejusmodi in-  
formationibus resultet suspicio vel indicium  
probabile contra aliquem; tunc incipit speciali-  
ter inquirere contra ipsum, sumendo speciales  
informationes &c. ut tradit Clar. in præxi crim.  
§. fin. qu. 5. n. 5. & Azor. p. 3. lib. 13. cap. 26. post  
principium.

## T I T. IV.

## De exceptionibus criminum.

1. DUobus potissimum modis opponi crimen  
contra aliquem potest, & Judici manife-  
festari primò, quasi per modum actionis: secun-  
do, per modum exceptionis, seu ad se defenden-  
dum repellendo Adversarii intentionem. Cum  
igitur in præcedentibus titulis dictum fuerit do  
primo modo opponendi qui per accusationem  
seu

seu denunciationem instituitur; sequitur ut de altero breviter differamus.

2. Nomine exceptionis in genere quid intelligatur, patet ex dictis lib. præced. in speciali rubr. *de exceptionibus* ubi illam definivimus *Actionis vel intentionis exclusionem*. Exceptio igitur criminis tunc fieri dicenda est, quando quis crimen contra aliquem objicit ad repellendam ejus actionem vel intentionem, ut putasi aliquis contra te Testis aut Accusator accedat; tu autem illum repellas opponendo illi tale crimen, propter quod redditur inhabilis ad accusandum vel testificandum.

3. Ex hac natura exceptionis efficitur, quemlibet ad excipiendum de crimen admitti posse, etiam criminofum, qui cæteroquin sit inhabilis ad accusandum vel testificandum, ut colligitur *ex c. Omnibus 2. 4. q. 6.* quia nemini jus suum prosequenti obstat criminis exceptio, nisi aliunde ex causa aliqua sit suspectus, & ea quæ necessariæ defensionis sunt, nemini denegantur, *c. significaverunt 11. de exceptionib.*

4. Quod autem attinet ad particulares leges, quibus regulanda est exceptio de criminibus; illud præ reliquis attendi debet, utrum crimen dederetur in judicium per exceptionem criminaliter; utrum civiliter, de qua divisione sermo est apud *Abb. in c. super his 16. de accusat. n. 4.* Primum contingeret, si de crimine excipe-

retur



retur ad vindictam publicam, & ut crimen puniatur pœna debita & naturali. alterum, si exciperetur de crimine ad privatum commodum seu interesse excipientis. In primo casu exceptio illa vim quoque habet accusationis, quæ de natura sua tendit ad pœnam seu vindictam publicam unde fit, quod sicut accusatio, ita & ejusmodi exceptio tractari non possit per procuratorem, ut desumitur à contrario sensu ex eod. c. super his ; ac præterea cætera servanda sint, quæ in judicio accusationis servari debent cui talis exceptio, quæ ad puniendum tendit, æquiparatur, ut docet Clar. in praxi crimin. §. fin. qu. 19. n. 2. & 3. & qu. 32. n. 22.

5. In secundo casu sistitur intra limites puræ exceptionis, pro qua distinguendum etiam est, quare opponatur, & quando? ut distinguitur in eod. c. super his. Vel enim objicitur præcise, ut ab accusatione vel testificatione aliquis repellatur : vel opponitur, ut quis excludatur à promotione officii vel beneficii. Si opponitur solum ad repellendum accusatorem ab accusatione, vel Testem à testificatione tamquam criminosem inhabilem; tunc opus non est, ut ita excipiens se inscribat ad pœnam pro casu, in quo non probaverit crimen exceptum, ex eod. c. super his ; quinimo etiam postquam probatum fuerit idem crimen, non propterea ferri potest sententia condemnatoria criminalis contra

con-

convictum, quia de hoc non fuit actum: nisi per nobile Judicis officium contra eundem convictum alia inquisitio, aliisque processus instituatur. Huc faciunt ea quæ diximus lib. præced. tit. de sententia & re judicata, ubi visum est, sententiam ferri debere conformiter ad petitionem libelli, & ad genus actionis in ipso propositum, ex l. ut fundus 18. ff. commun. dividun.

6. Si autem exceptio criminis opponitur ut quis excludatur à promotione officii vel beneficii (ad quod genus exceptionis admittuntur omnes illi, quorum interest ne ille ad officium vel beneficium promoteatur, ut puta omnes subditi, seu Dicæsanii admittuntur ad excipendum contra Electum in Episcopum, omnes Parochiani contra promovendum ad Ecclesiam Curatam, &c. quia cuiuslibet interest habere Pastorem legitimis qualitatibus exornatum, ut notat. Abb. in cit. c. Super his n. 10. & Hofst. ibid.) si inquam ad excludendam ejusmodi promotionem exceptio criminis fiat; tunc iterum ex eod. c. Super his distinguendum est, utrum ea exceptio opponatur ante confirmationem, vel post confirmationem.

7. Si ante confirmationem, ut cum ille, contra quem excipitur, electus est, sed nondum ejus electio confirmata; tunc excipiens de crimine non se inscribit: at excipiens, post confirma-

tio.



nisi  
n con-  
sus in-  
b. pra-  
un est,  
ad pe-  
in ipso  
mmun.  
itur ut  
l bene-  
cuntur  
ficium  
omnes  
cipien-  
es Pa-  
lesiam  
habere  
m, ut  
ibid.)  
omo-  
um ex-  
ea ex-  
el post  
con-  
ejus  
mine  
rma-  
gio:  
tionem, cum scilicet ordinandus fuerit aliquis, aut etiam consecrandus; tunc ad extraordinariam pœnam secundum arbitrium Judicis distreti citra vinculum inscriptionis est excipiens adstringendus, si defecerit in probando. Ratio disparitatis indicatur ibidem: quia majoris damni est exceptio contra confirmatum, quam contra præcise Electum. Exceptio enim contra Confirmatum, cum probata fuerit, non solum impedit ipsum ab Ordinatione vel consecratione, sed etiam in consequentiam privat jure antecedenter acquisito per confirmationem, propter connexionem utriusque, ut docet Abb. *ibid. num. 2.* At exceptio contra præcise Electum, ratione connexionis, privat dumtaxat jure antecedenter acquisito per Electionem: majoris autem damni est privari jure per confirmationem, quam jure per Electionem acquisito, cum primum sit jus in re, alterum autem jus ad rem.

## T I T. V.

## De Simonia.

1. Distum est in præcedentibus titulis de causis in genere, quæ super criminibus in iudicio proponuntur: consequens est ut de ipsis criminibus distinctius, sed tamen breviter videa-

videamus, initio facto à gravioribus, quæ solum Deum principaliter offendunt, qualia sunt Simonia, hæresis, Apostasia &c. dicturi quoque postea de iis, quæ etiam hominibus læsionem inferunt, quia sunt homicidium, furtum, usura &c.

2. Inter delicta primi generis detestandæ prævitatis est Simonia, quæ nonnumquam in sacris Canonibus appellatur hæresis, ut in c. fin. 1. q. 7. & c. Quotiens 5. de Simon. quia Simoniacus vendendo rem spiritualem, & Sacram, vel speculative putat ipsam esse venalem, vel saltem ita operatur ac si putaret ipsam esse venalem, quod est vel esse hæreticum, vel ita operari ut operetur hæreticus.

3. Est enim Simonia *studiosa cupiditas sevilluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum*, ut definitur communiter à Theologis, & Canonistis post Glos. in 1. q. 1. ad initium, eoque nomine appellatur à Simone Mago, qui primus in novo Testamento legitur hujus sceleris reus extitisse, ut videre est in cap. 8. Act. Apost. Dicitur *studiosa voluntas*, hoc est ex electione & deliberatione. Dicitur *emendi vel vendendi*, per quæ verba intelligitur omnis contractus non gratuitus, id est quo res aliqua pretio æstimabilis detur tamquā compensatio pro re spirituali, sive detur pecunia, sive aliquod pecunia æstimabile, quod reduci solet vel ad munus

munus à manu, vel ad munus ab obsequio, vel  
ad munus à lingua , ex c. Sunt nonnulli 114. 1.  
quest. 1.

4. Simoniae species multiplex est. Alia e-  
stim est Simonia mentalis, alia conventionalis,  
alia realis. Simonia mentalis de qua jura lo-  
quuntur & quæ Ecclesiasticis etiam pœnis sub-  
jici potest non est sola interna voluntas com-  
mittendi simoniam, ut præcisa ab omni opere  
externo : actus enim pure internus huma-  
nis legibus non punitur , ex l. Cognitionis 18.  
ff. de pœnis , quæ est translata in Decretum à  
Gratiano cap. Cognitionis 14. de pœnit. dist. 1.  
sed est voluntas proruimpens in aliquem actum  
externum , non tamen de se manifestati-  
vum pravæ voluntatis , ut si quis rem spi-  
ritualem velut ex iustitia debitam pro aliquo  
temporali det aut accipiat , non interveniente  
ulla conventione vel pacto expresso , aut tacito:  
quæ intentio si exterius probari , aut legitime  
præsumi non possit, non habet Judicem hu-  
manum punitorem, sed solum Deum. Sumun-  
tur hæc est c. Tua nos. 34. & c. fin. de Sim. Vide-  
ri potest S. Tho. 2.2. qu. 100.

5. Simonia conventionalis dicitur quoties  
intervenit pactum tacitum vel expressum ver-  
bis, aut aliis signis exterius manifestatum, non-  
dum tamen executioni mandatum. Hæc simo-  
niae species, quoad contractum , de se perfecta

X

est,

est, licet quo ad effectum vel usum nondum fueris consummata, eo simili modo quo *inst. de empt. & vendit. §. i.* dicitur contracta atque perfecta emptio & venditio, simul atque de pretio convernit, quamvis nondum premium numeratum sit, ac neque arrha data fuerit.

6. Demum simonia realis vocatur, quando pactum ipsum est executioni mandatum, per traditionem rei spiritualis, & per traditionem pretii temporalis pro ipsa; adeoque idem est *Simonia conventionalis consummata*. Quod si unius tantum rei sit facta traditio, puta vel solius rei spiritualis, vel solius pretii, nondum autem utriusque; in tali casu dicitur *Simonia mixta*, quia aliquid participat de simonia conventionali, quatenus una traditio facta non est; & etiam aliquid participat de reali, quatenus alia traditio facta est.

7. Dividitur etiam simonia in eam quae est juris Divini & naturalis, & in eam quae est juris humani & Ecclesiastici. Simonia juris Divini & naturalis dicitur quando aliqua res de spiritualis venditur aut emitur, ut puta si quis Sacra menta venderet, aut Calicem consecratum pluris ob benedictionem, & sic dereliquis. Simonia juris Ecclesiastici est, quae malitiā simoniæ habet immediate ex vi prohibitionis Ecclesiæ vetantis venditionem aut pactum onerosum circa talem rem intuitu reli-

gio-

ligionis seu reverentiæ debitæ rebus sacris ; ita ut talis venditio talem malitiam non haberet , sedius Ecclesiæ prohibitione , etiamsi res esset que sacra , sicut nunc est. Hujus generis esse consetur permutatio beneficiorum facta sine authoritate Superioris, utpote prohibita per Sacros Canones intuitu religionis in c. Quæstum. 3. de rerum permut. aliisque iuribus , qualis permutatio malitiam simoniæ non haberet seclusa Ecclesiæ prohibitione , quia non est permutatio temporalis cum spirituali , sed unius spiritualis cum alio spirituali. Idem dic de venditione quarundam rerum aliquid temporalitatis habentium , ratione cujus possent absque simonia vendi , nisi hoc esset ab Ecclesia prohibitum ex motivo religionis , quia annexam habent aliquam consecrationem vel spiritualitatem , qualia sunt Sacrum Oleum , vel Chrisma , quæ vendi prohibentur in c. Non satis. 8. de Simon. & quædam officia temporalia ordinata ad temporalium rerum Ecclesiæ administracionem , quæ cum saltem remotè ordinentur ad finem spiritualem , prohibentur pariter vendi in c. Salvator. 8. & c. Si quis Episcopus 3.1.q.3.

8. Ad ideum genus simoniæ juris Ecclesiastici , reducitur simonia illa quæ dicitur confidentialis , atque committitur , cum quis alicui resignat , vel aliter procurat beneficium , eligendo illum , vel confirmando , vel instituendo , vel in

commendam dando &c. cum certa confiden-  
tia, seu cum pacto expresso, vel tacito acquiren-  
di, seu recuperandi sibi, vel alteri idem benefi-  
cium pro aliquibus circumstantiis, ut si quisbe-  
neficium resignaret retento sibi vel alteri jure  
regressus, ingressus, vel accessus ad idem benefi-  
cium, aut reservata pensione annua, aliave par-  
te fructuum sine legitima authoritate Superio-  
ris, de quibus supra diximus in lib. i. tit. de-  
nunciat. Hæc enim prohibita sunt tūm à Trid.  
sess. 25. de refor. cap. 7. tūm recentius à Pio IV. in  
Constit. 85. quæ incipit Romanum Pontificem. &  
B. Pio V. in Const. 85. quæ incipit Intoler-  
abilis

9. Ut igitur pro Institutionum brevitate ren-  
satis amplam paucis amplectamur, materia  
simoniæ est omnis res spiritualis, & sacra, que  
ordinata sit ad spiritualē salutem, vel ex natura  
sua, vel ex institutione Divina, aut Eccles-  
iastica, unde prohibita sit vendi aut alio con-  
tractu oneroſo permutari, ex motivo religio-  
nis. In tali genere rerum invendibilium sum  
principaliter res supernaturales, five tales in  
essentialiter, quales sunt gratia, dona Spiritu  
Sancti, Sacramenta, ut est communis doctrina  
quæ sumitur ex c. eos qui 21. 1. q. 1. Et c. sicut p-  
certo 39. de simon. five supernaturales sint causa  
ter, qualia sunt. Sacramentalia, seu sacra cer-  
moniæ pro administratione Sacramentorum

¶ Missæ sacrificio ab Ecclesia institutæ, ex c. cum  
in Ecclesiæ 9. eod. Sive tales sint consequenter, ut  
sunt omnes actus potestatis supernaturalis, sive  
Ordinis, sive jurisdictionis, cum supernatura-  
les sint tam parte principi, quam ex parte finis,  
ut colligitur ex S. Th. 2.2. qu. 100. art. 3. & tra-  
dunt Canonistæ in c. consulere 38. de simon. ubi  
Abb. n. 3. atque etiam sumitur ex c. ad nostram  
ii. eod. ubi generatim prohibetur ne pro mi-  
nisterio Ecclesiastico exercendo pretium exi-  
gatur.

Io. Secundo loco sub materia simoniæ ve-  
niunt res spiritualibus annexæ. Et primo si sunt  
concomitanter annexæ, ut sunt corporales illæ  
actiones, quæ per se, & necessariò exercentur in  
administratione Sacramentorum, in recitatione  
Officii &c. juxta communem sententiam sunt  
materia simoniæ, & pro iis non potest quid-  
quam temporale dari tamquam pretium, &  
compensatio, ut docet S. Th. in 4. dist. 25. q. 3. art. 2.  
qu. 2. Suar. lib. 4. de sim. cap. 21. nu. 5. & seqq. Abb.  
in c. suam 29. de sim. num. 4. aliqui communica-  
ter. Dixit tamquam pretium, & compensatio: nam  
posse aliquid dari titulo necessariæ sustentatio-  
nis, & stipendii, docet S. Th. ab omnibus recep-  
tus 2. 2. qu. 100. art. 2. & ostendit praxis Ecclesiæ,  
atq; etiam colligi potest ex c. Clerici 10. 1. q. 2.

ii. Item si res sint consequenter annexæ spiri-  
tualibus, cujusmodi sunt Ecclesiastica bene-  
ficia,

ficia, videlicet jura perpetua percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter aliquod spirituale ministerium, sunt etiam materia simoniz, idque non solum quoad jus spirituale ordinatum ad præstanta spiritualia ministeria, quod est de Jure Divino invendibile; sed etiam quoad jus percipiendi redditus Ecclesiasticos, quod quamvis secundum se spectatum sit aliquid temporale, attamen quatenus titulo spirituali annexum est, quandam spiritualitatem participat, ideoque sine labore simonia-  
ca pro illo pecunia, vel aliud temporale dari aut accipi non potest, ut constat ex c. Tua nos 34. de sim. cap. fin. de pactis, aliisque juribus, in quibus omnis pactio seu contractus onerosus circa beneficia prohibetur, atque præcipitur ut absolute, & simpliciter conferantur. Desumitur etiam ex c. si quis objecerit 7. 1. q. 3. ubi etiam ea adjicitur generalis ratio, quod quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenienter neutrū in venditum derelinquit. Quidquid de-  
num sit, utrum ea beneficia sint materia simoniæ Juris Divini, & naturalis, an dumtaxat simoniæ Juris Ecclesiastici, quæ est questio à Theologis, & Canonistis agitata, ut videre est apud Suar. lib. 4. de simon. c. 24.

12.. Item si res sint antecedenter annexæ spiritualibus, id est quæ secundum se antecedunt spiritualitatē, in quo genere sunt vasa sacra, re-

les &c. fine simonia amplius vendi non possunt  
habita ratione consecrationis aut benedictionis, ita ut ejus intuitu majus pro ipsis pretium  
exigatur. Utrum autem vendi saltem possint  
solum ratione materiæ, & ita ut nulla pars pretii  
pro consecratione aut benedictione solvatur,  
est controversia inter Doctores, in qua plerique  
Canonistæ afferunt, res ejusmodi, postquam se-  
mel consecratæ aut benedictæ sunt, etiam ra-  
tione solius materiæ, amplius vendi non posse,  
ut testatur Suar. lib. 4. de sim. cap. 14. num. 5. Alii è-  
contra, inter quos idem Suar. in eod. cap. 14. Ca-  
strop. de sim. disp. 3. punto 8. n. 2. aliqui ab ipsis  
relati, post D. Th. 2. 2. qu. 100. art. 4. ad 1. 2. & 3. &  
clarior in 4. dist. 25. qu. 3. art. 2. qu. 3. indicant, e-  
jusmodi res spectato solo jure naturali, & seclu-  
sa Ecclesiæ prohibitione, posse vendi secun-  
dum spectatas ratione materiæ, modo carius  
non vendantur ratione consecrationis aut be-  
nedictionis: ubi tamen addit D. Thom. quod si  
aliquid ejusmodi vendendum esset hominibus  
profanis, seu ad usum profanum, deberet pri-  
us confringi. Dicunt seclusa Ecclesiæ prohibi-  
tione, quia dantur aliqua antecedenter annexa  
spiritualibus, quorum venditio est expressè  
prohibita ab Ecclesia, ut supra indicavimus in  
hoc titulo n. 9.

13. Pœnas de Jure Canonico statutæ contra  
Simoniacos plurimæ sunt, quæ tamen nec ad

quamlibet simoniæ speciem extenduntur, nec semper incurrintur ipso facto, cum nonnumquam sint ferendæ per sententiam Judicis. Primo enim nulla poena juris incurritur propter simoniam pure mentalem, ut indicavimus supra, & docent communiter Doctores ex c. fin. de simon. Idque etiamsi voluntas simoniaca in aliquem actum exterum proruperit, non tamen de se manifestatum simoniacæ pravitatis juxta explicationem quam dedimus supra num. 6, quamvis valde probabile sit posse tale factum per Ecclesiam puniri, ut docet Suar. lib. 4. de sim. cap. 55. n. 10.

14. Secundò, nec per Simoniam pure conventionalem incurritur ipso facto ulla poena juris lata contra simoniacos, ut late probat idem Suar. in eod. c. 55. a. n. 11. quia jura ipso facto punientia Simoniam non utuntur verbis significantibus solas conventiones simoniacas, sed dationes, vel receptiones ex talibus conventionibus procedentes, ut videre est tum apud Christianum in pluribus textibus 1. q. 1. nec non 1. q. 3. tum in Decretalibus sub titulo de sim. tum præfertim in extrav. 2. eod. qui textus est præcipuus inter omnes, qui de poenis simoniacorum loquuntur.

15. Tertiò, neque per simoniam mixtam, in qua soluta sit pecunia, donec traditum quoque sit spirituale, incurri ipso facto poenas à

Jure



Jure latae contra simoniacos , docent passim  
Doctores , teste *Suar. eod. c. 55. n. 16. & Guttier.*  
*Canon. quæst. lib. 1. cap. 9. num. 8.* Utrum autem  
idem juris procedat quoque in simonia mixta,  
in qua spirituale collatum sit , nondum tamen  
pecunia promissa persoluta , controvertitur in-  
ter Doctores aliis afferentibus non incurri ipso  
facto Ecclesiasticas pœnas à Jure latae , donec  
pretium quoque solutum sit ; aliis contra senti-  
entibus in eo casu incurri ipso facto eadem  
pœnas etiam ante pretii solutionem , ut videre  
est apud *Garz. de benef. p. 8. cap. 1. Suar. cap. 56.*  
*n. 25. Castrop. de sim. disp. 3. puncto 22..nu. 5.* ubi  
pluribus juribus hanc sententiam probat . Il-  
lud tamen extra controversiam est , in simonia  
confidentiali satis esse ad incurrendas Ecclesiasticas pœnas , quod beneficium ab uno sit da-  
tum & ab alio receptum in confidentiam , licet  
accipiens vicissim suam promissionem nondum  
impleverit , puta pensionem nondum solverit ,  
ut patet ex supracitatis Bullis Pii IV. & B. Pii V.  
de quibus diximus n. 3.

16. Quod autem attinet in particulari ad ip-  
fas Ecclesiasticas pœnas à Jure canonico latae  
contra Simoniacos , notandum est triplicem  
potissimum Simoniae speciem pœnis ipso facto  
incurrendis puniri per Sacros Canones , qua-  
rum una est quæ committitur in collatione Or-  
dinis,

dinis , altera quæ in collatione beneficij , tertia  
quæ in Religionis ingressu.

17. Primo itaque si simonia committatur in  
collatione Ordinis , incurritur ipso facto ex-  
communicatio Sedi Apostolicæ reservata tam  
ab Ordinante quam ab Ordinato, immo & ab iis,  
qui quod illa fiat mediatores extiterint , seu  
procuraverint , ex extrav. 2. de sim. inter comm.  
Sub hac lege comprehendendi quoque primam  
Tonsuram docet Suar. cit. cap. 56. n. 5. & Laim.  
lib. 4. Theol. mor. tract. 10. cap. ult. §. 7. n. 71. a-  
liique cum ipsis addit Nayar. lib. 5. conf. 59. de  
sim. Avila p. 3. de cens. disp. 5. dub. 9. & Laim. cit.  
loco , etiam simoniā commissam in Reveren-  
dis seu dimissoriis censerī commissam in Ordī-  
ne , ad quem ordinantur tamquam media.

18. Præterea simoniace Ordinans , spectato  
jure communi Decretalium est ipso facto su-  
pensus à collatione omnium Ordinum saltē  
per triennium : Ordinatus autem per talē simoniā  
suspensus est ab Ordine sic suscepio,  
donec dispensationem super hoc per Sedem A-  
postolicam obtinere meruerit , ut patet ex cap.  
penult. de sim. Dixi spectato jure communi decr-  
talium. Attentis etiam recentioribus juribus,  
amplius etiam extenditur pœna ista suspensi-  
onis. Nam quod attinet ad simoniace ordinan-  
tem , generaliter decernitur in Constit. 91. Sixii  
V. quæ incipit Sanctum & salutare, ut sit eo ipso

suspensus à quorumcumque Ordinum , atque  
ideo ipsius Tonsuræ, & ab executione omnium  
munerum Pontificalium , & ab ingressu Eccle-  
siae interdictus existat, aliisque gravioribus pœ-  
nis pro tempore existentis Rom. Pontificis ar-  
bitrio puniatur. Quod autem attinet ad simo-  
niace ordinatum, docent communiter Docto-  
res ordinatum suspendi non solum ab Ordine  
sic suscepto , sed etiam ab aliis omnibus ordini-  
bus, quos habet , quia in extrav. 2. de sim. inter  
comm. dicitur generaliter, quod omnes illi, qui  
simoniacè ordinati fuerint , à suorum sunt Ordini-  
num executione suspensi. Ita Suar. de cens. disp. 31.  
sect. 4. n. 33. Adde & tempus suspensionis ita or-  
dinati prorogatum fuisse usque ad decennium  
fine spe dispensationis à B. Pio V. const. 5. quæ in-  
cipit *Cum primum*.

19. Alia etiam plura decreta sunt contra si-  
moniam quæ committatur in collatione vel  
susceptione Ordinis, quæ videri possunt in cit.  
*Bulla* 5. B. Pii V. *Cum primum*, & in cit. *Bulla* 91.  
*Sixti V. Sanctum & salutare*, quam Bullam etsi  
Clemens VIII. in sua *Const. 40. Romanum*, re-  
duxerit ad terminos Sacrorum Canonum , &  
Constitutionis 7. Pii II. & Còncilii Trid. atta-  
men quoad pœnas simoniacorum illam con-  
firmavit.

20. Altera species simoniæ specialiter punita  
per Sacros Canones pœnis ipso fasto incur-

rendis, est quæ committitur circa beneficia. Primò igitur si quis simoniace conferat vel procuret alteri beneficium seu officium Ecclesiasticum, media electione, postulatione, confirmatione, provisione, seu quavis alia dispositione, est ipso facto excommunicatus excommunicatione reservata Summo Pontifici, quemadmodum excommunicatus etiam est, qui ita simoniace receperit beneficium aut officium Ecclesiasticum, necnon qui mediatores extiterint seu procuraverint, quod simonia committatur, ex cit. *extrav. 2. de sim.*

21. Præterea *ex ead. extrav.* si simoniace fiat provisio & collatio beneficii, est irrita & nulla, unde per ejusmodi provisionem jus nullatenus acquiritur, & sic recipiens beneficium non facit fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo adstrictus est. Idque procedit etiamsi simonia commissa fuerit ab aliquo tertio, & beneficium recipiens illam sciverit & non contradixerit, usumitur ex c. *sicut tuus 33. de sim.* Quod si contradixerit, & hoc non obstante, ante collationem beneficii sciat pecuniam datam esse, neque tunc potest acceptare beneficiū, quia ad illud effectus est inhabilis ut colligitur ex c. *penult. de lect.* Si demum neq; sciverit neq; contradixerit eo quod nullam suspicionem habuit de simonia à tertio commissa ; tunc distinguendum est

vel

vel enim ea simonia commissa fuit in odium beneficiarii , puta ad effectum ex beneficio posse privari debeat titulo simoniæ : vel ea simonia commissa fuit in favorem beneficiati , ab amico vel consanguineo. Si simonia commissa fuerit à tertio in odium beneficiati , qui illam penitus nesciens receperit beneficium , collatio beneficij valida est ex cit. c. sicut tuis , quia dolus & fraus nemini patrocinari debet : si autem amicus ignorantे beneficiato pecuniam dederit ; tunc beneficiatus simul ac id cognoscat , tenetur dimittere beneficium ejusque fructus , ut colligitur ex eod. c. sicut tuis & ex cit. c. penult. de elect. ubi etiam dicitur , non posse Episcopum dispensare super Prælatura , quæ per simoniæ collata fuerit etiam ignorantе beneficiato quamvis circa eum qui ignoranter recipit simplex beneficium per simoniacam pravitatem , post liberam resignationem , Episcopi dispensatio toleretur.

22. Quod attinet speciales pœnas , quibus particulariter punitur simonia confidentialis , videri potest in Bullis Pii IV. & B. Pii V. quas citavimus n.3.

23. Tertia species simoniæ , quæ per Sacros Canones Ecclesiasticis pœnis ipso facto punitur , est quæ committitur in Religionis ingressu , de qua sermo est in extr. viag. i. de sim. inter comm. Si enim pecunia aut aliud temporale detur , non

pro sustentatione ingredientis , pro qua est con-  
suetudo dandi dotem in pluribus Monasteriis  
Monialium ubi præsertim Monasterium sit te-  
nue , sed pro ipso Religionis ingressu , incurri-  
tur excommunicatio Sedi Apostolicæ reserva-  
ta , tam à dantibus quam à recipientibus: nista-  
men aliquid ab ingredientibus detur pure &  
spontè & plena liberalitate , omnique pactione  
cessante , in quo casu potest illud recipi licet  
cum gratiarum actione juxta textum in ead. ex-  
trav. Quod si prædicta simoniaca exactio pretii  
temporalis pro Religionis ingressu committa-  
tur à Capitulo vel Conventu , incurrit ab eo-  
dem poena suspensionis reservata Sedi Apostoli-  
cæ , ex ead. extrav.

24. Præterea si quis ita fuerit simoniace in  
Religionem admissus , indiget dispensatione  
ad hoc ut possit in eodem Monasterio remane-  
re , ut colligitur ex ead. extrav. quamvis cetero-  
quin ejus professio sit valida juxta omnes Do-  
ctores teste Suar. lib. 4. de sim. cap. 57. n. 7. Un-  
de non habita dispensatione debcret ex illo Mo-  
nasterio expelli quod simoniace est ingressus , &  
in loco arctioris regulæ ad agendum perpe-  
tuam poenitentiam collocari , ut statuitur in  
cap. Quoniam 40. de simon. &c cap. de Regulari-  
bus 25. eod. Utrum autem hæc poena quali rele-  
gationis à Monasterio sit poena laicæ sententia  
vel

vel ferendæ, videri potest examinatum ab eod.  
Suar. in cit. c. 57. n. 8.

25. Pro aliis Simoniæ speciebus, hoc est quæ neque committantur circa Ordines, neque circa beneficia, neque circa Religionis ingressum, docent plures Doctores apud eundem Suar. cap. §. num. 5. ex' parte materiæ nullas esse pœnas ipso jure latas seu quæ de facto incurvantur, sed dumtaxat esse ferendas à Judice pro criminis qualitate: quamvis non defint qui oppositum sentiant, prædictas scilicet pœnas excommunicationis &c. ipso facto incurri à quolibet simoniaco, inter quos ita sentientes citatur Garz. 8. p. de beneficiis cap. 1.

26. Circa pœnas à Judice contra simoniacos ferendas una certa regula præscribi non potest, cum ferendæ sint pro criminis qualitate. Generaliter tamen ex statuto Juris aliquæ pœnæ veniunt imponendæ, inter quas recensetur depositio ab officio, & beneficio ex cap. Cum super 2. de confessis cap. sicut 6. de sim. & cap. Erga simoniacos iii. 1. quest. 1. Item infamia, quæ pro quacumque gravi simonia imponi debet ex c. ult. 1. q. 3. Videri potest Host. in Sum. tit. de simon. §. qua pœna feriatur.

27. Judex competens Simonia est solus Judex Ecclesiasticus, etiamsi laicus sit simoniacus, ut docet Glos. communiter recepta in c. sum. fit 8. de fore compet. v. Malefactores; & ad illam

illam accusandam quilibet Catholicus admittitur, etiam servus contra Dominum, & quilibet criminosus, ex c. si Dominus 3. Et c. tanta est 7. de simon. Quipmo in supracitata extray. 2. de sim. inter comm. omnibus generaliter distri-  
ctius præcipitur in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut eos omnes, quos simoniam ejusmodi com-  
misisse, vel procurasse, aut in ea mediatores es-  
se sciverint, Summo Pontifici, vel cui idem  
Pontifex duxerit committendum, per se, vel  
alios revelare quantocius non omittant.

28. Ut prædictus Judex Ecclesiasticus sen-  
tentiam ferat contra Simoniacum requirunt  
sufficiens probatio criminis, quæ habetur non  
solum iis modis quibus alia crimina probari so-  
lent, puta per criminosi confessionem, pertes-  
tes, & per instrumenta authenticæ, sed etiam  
per signa evidētia, & conjecturas, juxta tex-  
tum in c. sicut 6. de sim. quamvis cæteroquin in  
criminibus requirantur regulariter probatio-  
nes luce meridiana clariores, ut alibi diximus  
**ex l. fin. C. de probat.** Hoc autem statutum est  
tum ob atrocitatem hujus criminis, in cuius  
odium admittuntur probationes per præsum-  
ptiones, sicut, & in crimen hæresis, ut notat  
Abb. in eod. c. sicut n. 3. tum etiam quia crimen  
simoniæ solet occulte committi, unde difficilis  
est probationis: in hujusmodi autem crimi-  
bus, ne impunita maneant, admittuntur pro-  
batio-

tiones per conjecturas, & indicia evidētia,  
ut tradit Redoan. tract. de sim. p. 4. cap. 6. n. 31.  
seqq.

29. Talibus conjecturis utendum etiam est,  
si quando constet aliquid temporale datum es-  
se, ut cognoscatur an illud datum fuerit gratui-  
to, & liberaliter, an potius per modum pretii  
pro re spirituali. In eo enim casu tria potissi-  
mum attendenda sunt, per textum in cap. Qs  
questiones 18. de sim. Primo qualitas personæ  
dantis, & accipientis, ut à quo & cui, videlicet  
an à paupere diviti, vel è converso, sive à divi-  
te locupleti datum fuerit: de nobili enim, &  
divite facilius præsumitur gratuita donatio, ad  
quam præsumptionem etiam juvat virtus inte-  
gritas, amicitia &c. Secundo attendenda est  
quantitas rei datae, utrum scilicet res sit magni-  
vel minoris pretii, seu utrum sit magnum aut  
parvum id, quod datum est, respectivè ad dan-  
tem, & accipientem; quia si sit res modicæ  
quantitatis, & valoris, quæ de se non sit satis  
ad alliciendum, vel pervertendum animum  
accipientis, præsumitur potius gratuito dona-  
ta. Tertio denique consideranda est circum-  
stantia temporis sive occasio dationis: si enim  
v. g. urgente necessitate aliquid temporale de-  
tur, præsumitur datum potius ad subvenien-  
dum necessitati, quam ex voluntate simoniaca.  
Ista tamen intelligenda sunt, ubi cæteroquin in  
con-



contrarium non detur fortius aliquod argumentum probans rem datam esse animo simiaco.

## T I T. VI.

*De Hereticis, Schismaticis, & Apostatis.*

1. INter delicta quæ speciali modo Deum principaliter offendunt, numerantur quoque quæ præsenti hac rubrica concluduntur, de quibus singulis extant in 5. Decretalium distinetæ rubricæ.

2. Hæresis est voluntarius error intellectus, quem quis pertinaciter habet contra aliquam veritatem fidei Catholicæ, quam suscepit, seu professus est. Qui enim eandem fidem numquam professus est, non dicitur propriè hæreticus, sed paganus, seu infidelis, aut Judæus. Quod præsertim intellige si neque fidem humanam unquam habuit in Christum. Talem errorem proprium hæresis contrahit non solum qui positivè dissentit articulo, quem cognoscit esse articulum fidei Catholicæ, sed etiam qui positivè dubitat de aliquo articulo, quem scit esse ab Ecclesia definitum, seu propositum judicans non esse certam illius veritatem: certitudo enim omnium articulorum fidei est fide; unde qui talem certitudinem non admittit,

po-

positive dubitando de veritate , hæreticus seu infidelis dicendus est , ex textu expresso in cap. dubius i. de hæretic.

3. Schisma est divisio , per quam quis ab unitate Ecclesiæ se dividit , in quantum ea est Corpus mysticum constans ex universis fidelibus , & Romano Pontifice tamquam Capite , prout ex S. Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 1. communiter explicant Doctores. Differt schisma ab hæresi in hoc , quod hæresis opponatur fidei directè , ejus veritatem negando ; schisma autem directè repugnet charitati , scindendo unionem Ecclesiæ , quæ in charitate consistit. Hinc omnis hæreticus est eo ipso etiam schismaticus , utpote per erronea dogmata ab Ecclesia separatus ; sed non convertitur , quia non omnis schismaticus est eo ipso hæreticus , ut notat Glos. in c. inter hæresim 26. 24. q. 3. v. & schisma : quia non eo ipso , quod quis separat se ab unione , seu obedientia Ecclesiæ , sectatur errorem contra fidem , saltem initio separationis ipsius , quamvis postea nullum schisma non aliquam sibi confingat hæresim , ut recte ab Ecclesia recessisse videatur , ut dicitur in textu citati c. inter hæresim.

4. Apostasia in genere est quidam temerarius recessus à statu , quem quis professus fuerat , ac dividi solet in tres species. Alia enim est apostasia à statu fidei , ut si quis in totum recedat à fide Christiana , & fiat Judæus sive genti-

gentilis, cuius generis apostasia vocatur ab Holt. *apostasia perfidiae*. Alia est apostasia à statu obedientiæ, per quam quis temerarie se subtrahit ab obedientia sui Superioris, & vocatur *apostasia inobedientie*. Alia est apostasia à statu Religiosis, quæ contingit quando Religiosus absque licentia temerè recedit ab Ordine Religioso, & vocatur *apostasia irregularitatis*. Ad idem genus reducitur apostasia à Clericatu, quam committeret ille, qui in Sacris constitutus abjiceret insignia status Clericalis, animo vivendilaiciter.

5. Singula hæc gravissima crimina pluribus gravibus pœnis per sacros Canones puniuntur. Primo enim in hæresim lapsi incident ipso facto in excommunicationem majorem latæ sententiæ, ut constat ex c. *excommunicamus* 12. de *heret.* ubi eadem pœna extenditur etiam ad receptatores, defensores, & fautores eorundem, *aliisque pluribus* juribus.

6. Secundo puniuntur heretici pœna irregularitatis, seu inhabilitatis ad beneficia Ecclesiastica, & Officia publica, ut sumitur ex c. 2. §. *heretici* eod. in 6. Idq; procedit etiamsi, postquam errorē deprchenderint, ad unitatē fidei Catholicæ, abjurata hæresi, revertantur: nam etiā tunc adempta illis est omnis spes promotionis, & pro magno beneficio reputare debebunt, si mediante dispensatione permittantur in Ordine,

quem

quem prius fortasse suscepserant, stabilitate perpetua permanere, juxta textum in c. saluberrimum 21. 1. q. 7. Hæc eadem pena irregularitatis lata pro hæreticis, extenditur quoque ad credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filios usque ad secundam generationem, ut in cit. c. quicumque 2. §. hæretici de heret. in 6. Quæ extensio ad filios, declarata postea fuit à Bonif. VIII. in cap. statutum 15. eod. tit. & lib. ita ut complectatur dumtaxat primum & secundum gradum per paternam linneam; per maternam autem, solum primum comprehendat: idque intelligendum sit de filiis, & nepotibus hæreticorum, & aliorum hujusmodi, qui tales esse, vel tales etiam deceperisse probantur: non autem illorum, quos emendatos esse constiterit, & reincorporatos Ecclesiæ unitati, & pro culpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam recepisse: quam ipso, vel jam perfecerunt, vel humiliter profectioni ejus in sistunt, vel parati fuerint ad recipiendam eandem.

7. Tertiò puniuntur hæretici, eorumque fautores si intra annum satisfacere contempserint, infamia juris ipso facto, c. Excommunicamus 13. §. Credentes. de heret. c. Infames. 16. 6. q. 1. l. Manicheos 4. novel. Credentes, & auth. Gazarof. c. de heret. Inde enim fit, repellii ipsos quoque ipso jure ab omnibus honoribus & dignita-

gnitatibus , & excludi ab omni actu legitimo, ut particulariter declaratur in *cit. c. Excommunicamus §. credentes.*

8. Ut autem corporalis saltem poena corripiat quem spiritualis non corrigit disciplina, ut sumitur ex *c. Vergentis 10. eod. ideo* per Sacros Canones statutum est ut si in hæresi manifeste deprehensi Clerici sint vel Religiosi, torius Ecclesiastici Ordinis prærogativa nudati, & sicut omni officio & beneficio spoliati Ecclesiastico, sæcularis relinquunt arbitrio potestatis, animadversione debita puniendi : nisi continuo post deprehensionem erroris, ad fidei Catholicae veritatem sponte recurrere, & errorem suum publicè consenserint abjurare, & satisfactionem congruam exhibere. Laici quoque, nisi (prout dictum est) abjurata hæresi, & satisfactione exhibita, confessim ad fidem configuerint orthodoxam, sæcularis Judicis arbitrio relinquunt debitam recepturi pro qualitate facinoris ultionem. Sumuntur hæc ex textu expresso in *c. Ad abolendam 9. eod.*

9. Sed & bona dominatorum ipsis eorumque filiis ipso jure adempta esse intelliguntur, atque confiscata ; vel si Clerici fuerint applicanda Ecclesiis à quibus stipendia receperunt, *cit. cap. Vergentis, & cap. Cum secundum 19. eod. in 6. junctis iis quæ traduntur ab Abb. in cap. Excommunicamus, 13. eod.* Nec hujusmodi severa

rita-

ritatis censuram orthodoxorum ex hac redatione  
aliorum, quasi cuiusdam miserationis praetextu  
debet ullatenus impedire; tum quia secundum  
legitimas sanctiones etiam Reis læsæ Ma-  
iestatis punitis capite, bona confiscantur eo-  
num, filiis suis vita solummodo ex misericor-  
dia conservata; longè autem gravius est ita æ-  
ternam, quam temporalem lædere Majestatem:  
tum præterea, quia in multis casibus, etiam se-  
cundum Divinum judicium, filii pro patribus  
temporaliter puniuntur, & juxta Canonicas  
sanctiones quandoque fertur ultio non solum  
in authores scelerum, sed etiam in progeniem  
damnatorum, ut dicitur in textu ejusdem cap.  
*Vergentis.*

10. Hoc juris adeo procedit, ut etiamsi hæ-  
retico ipso vivente super bonorum ipsius con-  
fiscatione nihil fuerit (interveniente ipsius mor-  
te) per sententiam declaratum ad eam nihil ob-  
minus post mortem ejusdem procedatur, ex c.  
*Accusatus 8. §. pen. eod. in 6.*

11. In hac tamen rerum jactura, bonis do-  
talibus parcitur uxorum Catholicarum: quam-  
vis enim per quandam juris subtilitatem, du-  
rante matrimonio, visa fuerint illa transi-  
se in patrimonium mariti; attamen proprie-  
& naturaliter sub uxoris dominio permane-  
runt, ut habetur in textu expresso. *l. In rebus*  
*10. Cod. de jure dotium, & l. Quamvis 75. ff. eod.*  
*ideo-*

ideoque sub generali sententia per quam publicantur bona mariti propter heresim damnata, bona dotalia uxoris ceteroquin innocentias que Catholicæ non intelliguntur comprehensa, ut decrevit Innoc. IV. citatus à Bonif. VIII. in c. *Decrevit 14. de heret. in 6.* ubi insuper declaratur, hanc dotis indemnitatem procedere, nisi forte mulieres ipsæ cum viris matrimonio contraxissent, quos hereticos tunc sciebant.

12. Tanta autem est sceleris hujus immanitas ut etiam hereticorum cadavera poena prosequatur: carere enim debent Ecclesiastica sepultura, ita ut si quis ipsos, imo & credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter tradere presumperit Ecclesiastica sepulturae, usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ subjaceat. Nec absolutionis beneficium mereatur, nisi propriis manibus publice extumulet, & projiciat hujusmodi corpora damnatorum. Et locus illa perpetua careat sepultura. Sumuntur hæc ex c. 2. §. 1. *de heret. in 6.*

13. Una tamen via suppetit in heresim lapsi evadendi hanc justam Sacrorum Canonum disciplinam, si videlicet errore deprehensione statim reincorporari curent Ecclesiæ unitati, quod tunc ab ipsis factum censebitur, quando ad mandatum Ecclesiæ poenitentiam acceptaverint, eamque vel jam perfecerint aut prosecu-

domi ejus insistant, vel saltem parati fuerint ad recipiendam eandem, juxta textum in c. Statutum 15. eod. in 6.

14. Sed & hæc via iis intercluditur, qui post abjurationem hæresis, deprehendantur in abjurata hæresim recidisse, in quo casu dicuntur relapsi, eorumque pœna est, ut sacerdotali iudicio sine ulla penitus audience relinquantur, ex cap. Ad abolendam 9. §. Illos quoque, de hæret. quamquam eisdem, si postmodum pœnitentia, & penitentiæ signa in eis apparuerint manifesta, nequaquam sint (humiliter perita) Sacra menta Penitentiæ, ac Eucharistiæ deneganda, juxta textum in c. super eo 4. eod. in 6.

15. Hæc relapsorum pœna iis principaliter competit, qui in hæresim relabuntur postquam semel confessi, aut plenè ac legitimè de hæresi convicti in iudicio, eam abjuraverunt. Sed quid, si quis iterum in hæresim incidat, de qua prius extitit tantummodo suspectus, & propter eam suspicionem coactus fuit eam abjurare: numquid in eo casu puniendus erit pœna relapsorum? Distinguendum videtur: vel enim ea suspicio, propter quam coactus olim fuit abjurare, fuit gravis & vehemens; vel tantummodo levis & modica. Si gravis aut vehemens; censabitur relapsus, ex c. Accusatus. 8. §. 1. de hæret. in 6. & relapsorum pœna punietur cit. c. Ad abolendam. §. Qui vero inventi. At si tantum

Y

fue-

fuerit levis & modica , quamvis ex hoc sit gra-  
vius puniendus quod est abjurationem depre-  
hendatur lapsus , quam si numquam abjurasset;  
attamen puniri non debet pœna relapsorum,  
ex cit.c. Accusatus. §. Si autem levis.

16. Plura quoque alia in odium hæresis de-  
creta sunt , tum quoad aliquas particulares pœ-  
nas , de quibus inter reliqua videri potest Clem.  
1. de hæret. tum quoad impediendum ne hujus  
criminis contagio serpat , inter quæ est prohi-  
bitio facta laicis in cap. 2. §. Inhibemus. eod. in 6.  
imo & Clericis in cap. Cum quibus 36. in fine,  
ibidem Gloss. v. certamen. 2. 4. q 3. disputandi cum  
hæretico de fide , ne fallacia ejus argumenta  
incautos decipient , quæ prohibitio utrum &  
quam exceptionem habeat videri potest apud  
Theologos ; tum demum quoad judicium &  
processum contra hæreticos instituendum , cir-  
ca quæ statuta sunt aliqua specialia præter or-  
dinarias Juris regulas. Inter ea illud est , ut  
contra ipsos admittantur etiam Testes alias ju-  
re inhabiles ad testimonium ferendum , ut  
habetur in cap. Infidei 5. c. Accusatus. 8. §. Licet  
vero. de hæret. in 6. quinimo ut omnibus præ-  
cepta sit illorum denunciatio , de qua vide-  
ri potest Suar. de fide disp. 20. sect. 4. Item ut in  
negocio Inquisitionis hæreticæ pravitatis pro-  
cedi possit simpliciter & de plano , & absque  
advocatorum ac judiciorum strepitu , & figu-

tit gra-  
depre-  
urasset;  
forum,  
efis de-  
res pœ-  
st Clem.  
e hujus  
prohi-  
od. in 6.  
in fine,  
di cum  
umenta  
rum &  
st apud  
cium &  
m, cir-  
ter or-  
t, ut  
lias ju-  
n, ut  
s. Licet  
s pr-  
a vide-  
n ut in  
is pro-  
absque  
figu-  
ra,  
Tit. 6. de Hæret. schism. & apost. 507  
u, c. ult. de hæret. in 6. & ut non sint publican-  
da nomina testium & accusatorum, si ex publi-  
catione eorum timeatur grave periculum eo-  
undem propter potentiam inquisiti. Videri  
potest Farinac. in tract. de hæresi.

17. Quod attinet ad pœnas schismaticorum,  
similes illæ sunt hæretorum pœnis. Prima  
est excommunicatio latæ sententiaz reservata  
Summo Pontifici , ut sumitur ex Bulla Cœna ,  
& ex cap. Quoniam 14. in fine de Off. Ordin. Al-  
tera pœna est inhabilitas ad beneficia & digni-  
tates Ecclesiasticas, præsertim ad Episcopalem,  
etiam post schismatis abjurationem , ex cap.  
Quia diligentia. 5. de elect. Quod si schismati-  
cus aliquis per has pœnas non resipuerit , ab o-  
mni ministerio Ecclesiastico deponetur , adhi-  
bito , si necesse fuerit , brachio sæculari ad ejus  
insolentiam repellendam ut sumitur ex cit. cap.  
Quoniam §. fin. de off. Ord. cum omnium etiam  
bonorum confiscatione , ex c. un. de schism. in 6.

18. Alia demum pœna est ut Ordinationes à  
Schismaticis factæ , & ab Ordinatis ab eis , sint  
irritæ , ex cap. 1. de schism. quod intellige quo-  
ad executionem & usum , quia cæteroquin E-  
piscopus schismaticus verè & validè quamvis  
illicitè perficit ea quæ de jure Divino sunt pro-  
pria Ordinis : unde Confirmatus aut Ordin-  
atus ab ipso characterem recipit supposito quod  
servetur materia & forma Ecclesiæ , quamvis



non executionem & usum , ut sumitur ex S. Th. 2. 2. q. 39. art. 3. Secus accidit circa potestatem Jurisdictionis, quam neque licet neque validè Schismaticus exercere potest : unde in eod. c. 1. de schism. adjicitur ut qui dignitates Ecclesiasticas seu beneficia per schismaticos acceperint, careant impetratis. Alienationes quoque , quæ per eosdem schismaticos , seu per laicos factæ sunt de rebus Ecclesiasticis, omni careant firmate , & ad Ecclesias sine omni onere revertantur. Si quis autem contrariè præsumperit, excommunicationi se noverit subjacere. Demum ibidem adjicitur ut illi qui sponte juramentum de tenendo schismate præstiterunt , à Sacris Ordinibus & dignitatibus sint suspensi.

19. Apostatae demum etiam puniuntur tum pœna infamiae , tum excommunicationis, tum aliis pœnis juxta diversitatem Apostasie, de quibus videri potest Host. in Summa tit. de Apostatis §. Qualiter puniantur , & Panor. in c. 1. de Apostatis. Vide etiam Const. Urb. VIII. Sacta Congregatio, editam die 21. Sept. 1624.

### T I T. VII.

#### *De Sortilegis, Maledicis, & Sacrilegii.*

1. C Rimina quoque hoc titulo comprehensia numerantur inter ea , quæ ex genere suo

principia

principaliter Deum respiciunt , ejusque hono-  
ne læsionem , quare merito hæc rubrica subne-  
fitur præcedentibus.

2. Sortilegium in genere dicitur , quando a-  
liquideo fine fit , ut ejus eventu considerato , a-  
liquid occultum innotescat , ut sumitur ex S.  
Th. 2. 2. q. 95. art. 8. ubi etiam ab eodem dividi-  
tur in tres species , ut aliud sit divinatorium , a-  
liud consultorium , aliud divisorium.

3. Divinatorium est , dum per quasdam for-  
tes exquiritur futurum occultum , quod natu-  
raliter sciri non potest : in quo genere sunt artes  
illæ damnabiles Ariolorum , qui videlicet circa  
aras idolorum nefarias preces emittebant ut  
dæmonum responsa acciperent , Aruspicum qui  
exta pecudum inspiciebant ut ex eis futura  
prædicerent , & etiam dies horasque observa-  
bant ut quid per singula tempora fieri deberet  
enunciarent ; Augurum qui volatus avium &  
voces aliaque ejusmodi signa rerum pro actio-  
nibus gerendis perscrutabantur ; aliorumque  
similium , de quibus particulariter loquitur Au-  
gust. relatus in c. 1. 26. q. 3.

4. Omnia hæc divinatoria sortilegia vel hæ-  
resim aut idolatriam sapiunt ; vel mixtam  
habent aliquam pestiferam societatem cum  
dæmons ; vel saltem superstitiosa sunt : unde &  
ipsa sui natura mala sunt , & sub gravibus pœ-  
nis Jure Canonico prohibita , ut videre est 26.

q. 5. per totam & c. i. de Sortilegiis , inter quas numeratur ut & ipsi sortilegi , & qui eos observaverit, aut eorum philacteriis usus fuerit, hoc est chartis in quibus continentur incantationes, sit excommunicatus ; & si quis ejus criminis reus Clericus deprehendatur , sit degradandus ex c. Admoneant 15. 26. q. 7. Præterquam quod quilibet fortilegus reliquis etiam hæreticorum pœnis subjectus est , si ejus sortilegium hæsim sapiat, de qua re videri potest Abb. in c. i. de sortileg. Host. in sum. eod. tit. §. Quæ sit pœna, & Farinacc. tract. de bælesi q. 181.

5. Consultorium est, quo exquiritur Divina voluntas , quid in hac vel illa re sit agendum, vel evitandum , per sortes. Cum autem sine necessitate , & prætermissis ordinariis Divina Providentiæ mediis , ad specialem & extraordinariam Dei Providentiam recurrere , eumque per sortes consulere , ad tentationem Dei pertineat, ut docet S. Th. in cit. quæst. 95. art. 8. ideo etiam hæ sortes sunt illicitæ & sub excommunicatione prohibitæ in c. Sortes 7. 26. qn. s. nisi tamen aliqua exerceatur speciali Dei iussu & instinctu & cum humili reverentia.

6. Divisorium denique est , cum per sortes quæritur quid cuique tribuendum sit , sive in rebus communibus , sive in honoribus ac dignitatibus, sive in publicis officiis &c. Hoc genus sortium in pluribus casibus permittitur, n*isi*



fix aliqua particulari circumstantia vitietur, ut ex parte intentionis si quis expectet eventum non à Divina Providentia, sed ab astris, vel merè à fortuna &c. ex parte materiae, si mittantur sortes super re aliena, aut si sortibus exponatur officiorum collatio, ubi habenda esset ratio majoris aptitudinis Personarum, unde in electionibus ad Prælaturas aliaque beneficia Ecclesiastica prohibitum generaliter est adhibere sortes, ut constat ex c. Ecclesia 2. de sortileg. ex parte modi, si quis fraudibus in sortitione utatur, aut aliquid illicitum & superstiosum misceat, aut re aliqua sacra utatur, quod esset irreverentia contra Religionem. Videri potest Suar. tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstitione cap. 12.

7. Maledici dicuntur quasi maledicentes, ut explicat Host. in Sum. tit. de maledicis §. Quot sunt genera. Pessima criminis hujus species est blasphemia in Deum aut Sanctos proleta, de qua ejusque divisionibus latè tractant Theologi morales: inferiorem gradum obtinet maledicentia quæ relate ad homines exercetur, sive enunciative affirmando malum de altero, sive optative imprecando malum alicui, sive imperative jubendo ut alicui malum inferatur.

8. Blasphemantes Deum, olim in Lege veteri afficiebantur pœna mortis & à toto populo lapidabantur, ut sumitur ex cap. 24. Levi-

tici vers. 16. Nunc de Jure Canonico expresso in  
c. 2. de Maledicis linguam in blasphemiam pub-  
licè relaxare præsumentibus contra Deum, vel  
aliquem Sanctorum suorum & maximè Bea-  
tam Virginem, decreta est publica pœnitentia  
præ foribus Ecclesiæ, pro ut describitur in eod.  
c. 2. quam pœnitentiam si blasphemus recipere  
ac peragere renuerit, Ecclesiæ ingressu interdi-  
cendus est, & Ecclesiastica privandus sepli-  
tura.

9. Infra blasphemantes, proximum malitia  
gradum tenent illi maledici, qui supremo Prin-  
cipi Ecclesiastico aut sæculari, seu Superiori suo  
maledixerint. Hujus criminis Rei ad eundem  
Principem aut Superiorem remittuntur arbi-  
traria pœna, juxta sceleris modum, puniendo,  
ex c. 1. de Maled. & l. un. C. si quis Imperat. malt-  
dixerit.

10. Sacrilegium dicitur, quidquid in sacra-  
tis Deo rebus & personis injustè agitur, ex cap.  
Quæ multoties 7. de reg. jur. unde communiter  
duplex sacrilegii genus numeratur, quorum u-  
num committitur circa res sacras; aliud cir-  
ca personas: ut puta sacrilegium primi gene-  
ris est cum furtum aliquod rerum Ecclesiæ sit,  
aut aliter Ecclesia violatur, ad quod facit in  
5. Decretalium tit. De raptoribus, incendiariis,  
& violatoribus Ecclesiarum, qui pluribus gr-  
vibus pœnis ibidem per Sacros Canones puni-  
untur.

untur. Sacrilegium autem alterius generis est cum quis in Clericum vel Religiosum violens manus injicit diabolo suadente , quod crim men punitur excommunicatione reservata Summo Pontifici in c. si quis suadente 27. quæst. 4. aut cum aliquod in honestum committitur à persona vel cum persona Deo dicata , de quo sunt plures Canones in can. 27. quæst. 1. Aliæ particulares sacrilegiorum species , eorumque poenæ videri possunt in cap. Quisquis 21. 17. q. 4. De tota autem materia sacrilegii vide S. Tho. 2. 2.q.99.a.3.

## T I T. VIII.

*De Homicidio voluntario vel casuali.*

1. PRæcedentibus titulis actum est de iis trinum generibus quæ principaliter Deū respiciunt ejusque honoris læsionem : consequens est ut de iis breviter agamus quæ principaliter etiam tendunt ad læsionem proximi , initio facto ab homicidio , per quod proximus maxime læditur in naturalibus , cum per illud privetur vita corporali.

2. Nōmine homicidii generaliter sumpti intelligitur occisio hominis ab homine facta. Aliud autem est voluntarium , aliud casuale. Homicidium voluntarium est , quod ex voluntate

seu animo occidendi quoquo modo committitur, quod rursus subdividitur in voluntarium directè , & in voluntarium indirectè . Voluntarium directè est , quod quis committit expressè intendens & volens occidere hominem: voluntarium indirectè est , quod quis committit non intendens expressè actum ipsum occisionis , sed alium actum intendens ex quo per se & non per accidens sequitur mors, ut si quis præcisè intenderet verberationem , non autem mortem alterius , ex qua tamen verberatione sequatur mors , de quo casu agitur in cap. fin. de homicid. in 6.

3. Rursus homicidium voluntarium aliud est justum seu licitum , aliud injustum seu illicitum. Homicidium licitum est quod quis committit vel ad necessariam suæ vitæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ , seu non excedendo limites justæ defensionis , quando alia evadendi via non suppetit , ut sumitur ex cap. significasti 18. de homicid. & l. 2. 3. & 4. Cod. ad leg. Cornel. deficariis ; vel quod committit authoritate legis aut jussu Superioris habentis jus gladii. Homicidium illicitum est , quod extra has circumstantias cum aliqua voluntate committitur.

4. Demum homicidium casuale dicitur, quod sit præter intentionem committentis. Quod si non sit ullo modo voluntarium , eo quod

quod nullatenus fuerit prævisum periculum, & adhibita fuerit sufficiens diligentia ad omne periculum avertendum, tunc dicitur homicidium merè casuale, atque moraliter non imputatur si sequatur ex actione quæ de se alias sit licita, & honesta, & quæ de se cum periculo homicidiū non sit conjuncta, ut est casus in cap. *Dilectus* 13. cap. ex litteris 14. & cap. *Joannes* 23. de homi-  
cid. Si autem homicidium sequatur ex actione alias illicita, aut ad periculum alienæ mortis avertendum non fuerit adhibita sufficiens dili-  
gentia; tunc homicidium imputatur, ut est ca-  
sus in c. *Tua nos.* 19. de homicid. cap. *Presbyterum* 7.  
eod. & in c. *Clerico* 38. dist. 50. atque punitur etiam  
à Jure civili, sed mitius ut constat ex l. i. §. Sed si  
clavi ff. ad leg. Cornel. de sciar. & l. si putator 31. ff.  
ad leg. Aquilam. Huc etiam facit reg. 19. de reg.  
jur. in 6. non est sine culpa qui rei, quæ ad eum  
non pertinet, se immiscet.

5. Pœna homicidii voluntarii injusti de ju-  
re civili fuit olim relegatio, & confiscatio bo-  
norum; sed postea statuta fuit pœna capitis, ex  
l. Ejusdem 3. §. Legis Corneliae ff. ad leg. Cornel. de  
sciar. & ex §. Item lex Cornelia. Instit. de publicis  
judiciis.

6. De Jure autem Canonico, ejusdem crimi-  
nis pœna est, primo ut homicida sit excommu-  
nicandus, ex c. *Itaq;* 20. 24. q. 3. Quod si homici-  
da sit Clericus, deponendus est ab omni Ordine,

ac præterea prohibetur ne in Ecclesiis ullo unquam tempore lectiones legat , vel responsoria in Choro separatim cantet : sed in Psalmis apud Deum de commissso satagat veniam impetrare. Insuper in districto Claustro Monachorum vel **Canonicorum regularium** ) si fieri potest) est recludendus , ita ut usque ad septennium vel quinquennium debeat ab Ecclesiarum introitu coerceri , juxta textum in c. sicut dignum 6. §. fin. de homicid. ubi Panor. num. 10. Quod si insuper beneficiatus sit , debet suis beneficiis spoliari , ut colligitur ex c. Henricus 2. de Clericis pugnantib. in duello.

7. Prædictæ homicidarum poenæ extenduntur etiam ad eum , qui homicidium casuale committit quoad personam occisam , homicidium tamen intendit , ut si quis volens ex proposito occidere Titium per ignorantiam vel errorem occidat Caium , ut docet Bart. in l. Perspicendum 11. §. Delinquent ff. de poenis. Item extenduntur quoque ad eum , qui ita graviter aliquem vulneravit , ut certum esset ipsum ex eo vulnera vita excessurum , quamvis postea aliis accesserit , qui alio vulnera eundem vita privavit: tunc enim uterq; percutiens tenetur de occiso , juxta l. Ita vulneratus 51. ff. ad leg. Aquil.

8. Quia autem homicidium , tam facto quam præcepto , sive consilio , aut defensione , non est dubium perpetrari , ut dicitur in c. 2. in fine de Clericis

cleric. pugnantib. in duello; ideo non solum ma-  
nu sua exequens homicidium, sed etiam man-  
dans, consulens, immediate adjuvans, prædictis  
homicidii poenit. subiectus est, ut sumitur ex cit.  
sicut dignum 6. §. fin. de homicid. juncta ibid. Glos.  
v. Consilium.

9. Idem quoque juris servatur in eo, qui dat  
causam abortui, fœtu jam animato, ut de jure  
civili constat ex l. s. quis 38. §. qui abortionis ff. de  
pænis & l. penult. C. ad leg. Corn. de sicar. juncta  
ibidem Glos. v. si quis necandi infantis; de jure  
autem Canonico ex c. sicut. 20. de homicid. Alia  
ratio est ejus qui fœtus inanimati causat abor-  
tum: cum enim ille proprie hominem non oc-  
cidat, quamvis cæteroquin graviter delinquit,  
non punitur in sacerdotali foro poena mortis, sed  
alia mitiori, ut tradit Farinac. in praxi crimin.  
quaest. 122. num. 137. sicut & in foro Ecclesiastico  
irregularitatem non contrahit, ex cit. c. si-  
cut. 20.

10. Quod si contingat, aliquem causa odii  
vel explendæ libidinis, viro aut mulieri aliquid  
facere, vel potandum dare, ut non possit gene-  
rare, aut cōcipere vel nasci soboles, quamvis ve-  
rus homicida non sit, per quandam tamen Juris  
interpretationē, talis esse censetur, & ut homi-  
cida puniendus est, ex c. si aliquis 5. de homicid.  
quidquid sit utrum puniendus sit poena homi-  
cidii ordinaria, an alia mitiori, ut censet Fari-  
nac.

nac. in cit. quæst. n. 98. In eo tamen casu , eum-  
dem non fieri irregulararem ac si hominem inter-  
fecisset, docet Glos. in cit. c. si aliquis v. ut homicida.

ii. Dixi non fieri irregulararem ac si hominem  
interfecisset. Sciendum enim est, præter pœ-  
nas in homicidium statutas de quibus hactenus  
dictum est , ex homicidio oriri plerumque in  
occisore impedimentum quoddam seu inha-  
bilitatem de Jure Canonico statutam, ratione  
cujus promoveri nec ad Ordines, nec ad bene-  
ficia potest, ac speciali vocabulo dicitur irregu-  
laritas. Sed de hac re sermo erit infra in tit. de  
irregularitate.

## T I T. IX.

## De Furtis.

1. POST explicationem criminis , per quod la-  
ditur proximus in vita corporali , agen-  
dum hic est de criminibus , per quæ læditur in  
rebus suis videlicet de furtis , de quibus etiam  
est expressa rubrica in §. Decretal.

2. Furti nomine generaliter intelligitur o-  
mnis illicita usurpatio rei alienæ, invito Domi-  
no , ut habetur in §. furtum. Inst. de obligat. que  
ex delicto nascentur. Specialiter tamen , & stri-  
ctius sumitur furtum pro usurpatione illicita, &  
fraudulosa rei alienæ invito Domino , ut in l. s.  
fide.

*ff. de furtis*, & sic distinguitur à rapina , quo nomine venit illicita , & violenta usurpatio rei alienæ sciente , & vim patiente Domino , de qua sermo est in toto tit. *Inst. & ff. vi l. tonorum raptorum.*

3. Furtum apud Juristas aliud dicitur manifestum , aliud nec manifestum ex *l. furtorum 2. ff. de furtis.* Manifestum est quando fur deprehenditur cum re furtiva , priusquam eo loci eandem pertulerit , quo destinaverat illam perferre ac cum illa manere eo die , ex *l. 3. & 4. ff. eod.* Furtum nec manifestum est , quando fur non ita deprehenditur cum re furtiva *l. nec manifestum 8. ff. eod.*

4. Crimen furti graviter punitur ab utroque Jure. Primo enim à Jure civili statuta est contra illud poena pecuniaria si civiliter agatur, ut si furtum manifestum fuerit, præter rem furto ablatam , solvatur quadruplum ; si autem fuerit nec manifestum , duplum , ex §. conceptis , in fine , juncto §. ult. *Inst. de obligat. quæ ex delicto nasc.* Item furti suo nomine damnatus est insamis , ex *l. athletas 4. §. fin. ff. de his qui notantur inf.* Demum quamvis ex auth. sed novo jure *C. de servis fugitiv.* pro furto cōtra quod criminaliter agatur nec poena mortis nec mutilationis infligenda sic , sed arbitraria poena pro criminis qualitate , attamen vel ex peculiari statuto , vel ex consuetudine pluribus in locis poena capitalis infli-

infligitur, si furtum sit magnum, vel saepius iteratum, ut testatur, Menoch. de arbitr. casu 295.

5. De Jure autem Canonico fur non potest ad Sacros Ordines promoveri, nisi tamendictum sponte confessus fuerit, & per restitucionem satisfecerit, nec super furto manifesta nota, vel infamia respersus fuerit, in quo casu, si alias idoneus sit, post peractam pœnitentiam, aut congruam partem pœnitentiaz, promoveri potest, iuxta textum in c. fin. de furtis.

6. Quod si furtum commissum sit à Clerico, qui in eo crimine captus, sive deprehensus, & conjunctus sit, deponendus est, ut decernitur in c. presbiter 12. dist. 81. & c. cum non ab homine 10. de judicio, ubi præterea statuitur, ut si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debat: deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri, idest solemniter excommunicari, postmodum si in profundum malorum veniens contempserit, per sæcularem comprehendus sit potestate, ita ut ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.

7. Hæc autem intelligenda sunt de furtis extra gravem necessitatem commissis. Si quis enim ex tali necessitate furetur, mitius punitur, quam si nulla necessitate ductus furaretur, ex c. si quis propter 3. de furtis. Quod si necessitas sit extrema, puta quia aliter quam furando non poterat vitam sustentare; tunc nulli pœna subiectus

Itus est, ut colligitur ex c. discipulos 26. de conser. dist. 5. Huc etiam facit dictum illud Juristatum tempore extremæ necessitatis omnia sunt communia, idest communicanda, ut explicat Glos. in l. 2. v. conferret ff. alleg. Rhodigm de jactu.

## T I T. X.

## De Usuris.

1. Cum usura sit quædam species furti, titulo de furtis congruenter subnectitur titulus de usuris, quo nomine potissimum significatur lucrum, seu acquisitio rei pretio æstimabilis, quæ tamquam debita proveniat ex titulo mutui, ut si quis mutuaret 100. cum obligatione ut restituantur 110. illa 10. acquisita ex titulo mutuationis essent lucrum usurariū, ut constat ex 14. q. 3. per totam, & ex pluribus juribus in Decretalibus de usuris. Nonnumquam etiam nomine usuræ significatur ipsa conventio, seu contractus usurarius, quo quis paciscitur aut intendit aliquod lucrum tamquam debitum supra rem mutuatam ratione mutuationis.

2. Usura in genere multipliciter dividitur. Alia enim est usura realis; alia usura mentalis. Usura realis est, quando expresse, vel tacite patrum intervenit, ut ratione mutuationis solvatur aliquod lucrum ultra sortem, hoc est ultra rem

rem mutuatam. Usura mentalis est, quando quis mutuat actu externo cum intentione acquirendi ex mutuo aliquod lucrum tamquam debitum, quamvis de tali lucro nullum pactum interveniat sive expressum, sive tacitum.

3. Secundò dividitur usura in apertam, & palliatam. Usura aperta est, quando expressè, & propriè datur mutuum, ut ex eo lucrum injustum acquiratur. Usura palliata est, quando sub prætextu alterius contractus à mutatione distincti, sed eidem æquivalentis, intenditur aut acquiritur lucrum injustum ultra sortem, sicut contingere v. g. si quis vendendo mercem, exigeret pretium supra justum extitulo dilationis solutionis pretii, quæ dilatio est quasi quoddam virtuale mutuum, quia concedere spatiū temporis ad solvendum pretium, perinde est ac pro eodem tempore idem pretium mutuare.

4. Usuram esse graviter prohibitam, patet ex toto tit. *de usuris* in Decretal. & 14. quest. 4. per totam. Quinimo si quis pertinaciter affirmare præsumeret, exercere usuras non esse peccatum, subjectus esset pœnis hæreticorum, ex Clem. un. *de usuris*. Damnatæ enim sunt etiam à Jure Divino in Sacris litteris expresso, ut explicat S. Thom. 2.2. quest. 78. art. 1. & testatur textus in cap. *quia in omnibus* 3. & c. seq. de usur. ubi dicitur crimen usurarium utriusque Testa-

Testamenti pagina condemnari. Inde fit, ut ex nulla dispensatione acquiri unquam possint, licet in favorem causæ piæ aut alterius boni operis, ex cit.c.super eo 4.de usur.

5. Hæc autem intelligenda sunt non solum quoad lucrum pecuniarum, sed etiam quoad aliud quodlibet pretio æstimabile, & quoad quodlibet gravamen, & onus: nihil enim tale mutuario imponi potest præter id quod ipsi mutuo intrinsecum & proprium est. Unde non solum munus à manu, sed etiam munus ab obsequio, & munus à lingua est materia usuræ.

6. Ex his sequitur quod si debitor mutuarius aliquid oppigneret creditori, quod suapte natura fructiterum sit, puta possessionem aliquam; non potest creditor fructus ejusdem lucrari ultra sortē, sed si quos percepit vel percipere debuit, debet illos in partem sortis debitæ computare & si tot percepit quot sufficiunt ad adæquandam æstimationem sortis; censendum erit extinctum debitum, adeoque res oppignerata absolute restituenda erit debitori, ut constat ex c. 1. & 2. de usur. & l. 1. & 2. C. de pignorat. act.

7. Tres tamen casus in Jure Canonico inveniuntur ab hac regula excepti, in quibus fructus rei oppigneratæ percipi possunt à Creditorre citra usuram, non computando eos in sortem. Primus est, si laicus aliquis injustè detineat pos-

possessionem aliquam spectantem ad Ecclesiam, eamque oppigneret illi eidem Clerico, cui illa ipsa possessio assignata fuerat in beneficium, de quo casu sermo est in *c. i. de usur.* Secundus casus est, si res oppignerata sit feudum, atque tradatur in pignus domino directo ejusdem feudi, de quo sermo est in *c. conquestus 8. eod. & c. i. de feudis*, dummodo tamen interea idem dominus directus feudi non exigat à Vasallo debitum alias obsequium; seu servitium, vel pensionem, ut cayetur in *eod. c. i. de feudis*, de quo, aliisque pro isto casu servandis videri potest *Molina tr. 2. de just. disp. 323.*

8. Tertius demum casus est, si pro dote sibi promissa accipiat maritus à Socero possessionem fructiferam in pignus: potest enim tunc ejus fructus percipere donec dotem accipiat, nec cogitur eos in sortem computare, ut habeat unde possit sustinere onera matrimonii, ut statuitur in *c. salubriter 16. de usur.* Vide eundem *Mol. in cit. tr. 2. disp. 321. & 322.*

9. Utrum autem & quando possit citra usuram aliquid exigi supra sortem in mutuo, ratione lucri cessantis, vel ratione damni emergentis, aut propter periculum amittendæ sortis, videri potest apud morales Theologos.

10. Obligationes & pœnæ, quibus vel de jure naturali, vel de jure positivo subjacent Usurarii, plures sunt. Primo enim cum acceptio usura-

usurarum injusta sit, & rapinæ similis , ex c. si quis usuram 10. 14. q. 4. & cum non dimittatur peccatum , nisi restituatur ablatum c. 4. de reg. iur. in 6. tenentur omnes usurarii ad restitutio- nem usurarum ad quam compelluntur etiam Judæi c. Post miserabilem 12. & c. penul. de usur. Quod si contingat, nulla facta restitutione usu- rarium aliquem mori , obligatio restituendi transit ad ejus hæredes pro parte hæreditaria, juxta textum in c. Tuas nos 9. eod ubi Abb. n. 6.

11. Hæc obligatio restituendi adeo stricti ju- ris est, ut etiam si debitor juraverit , se solutu- rum usuras , aut ipsas non repetiturum; atta- men compellere possit usurarium ad relaxan- dum juramentum officio Judicis, per districtio- nem Ecclesiastica , & postea ad restituendas usuras , ut constat ex c. 1. de jurejurando, & c. Tuas 13. de usur.

12. Secundū usurarii pœna est, ut si Clericus fuerit, ab Officio & beneficio Ecclesiastico su- pendatur postquam parere contempserit , ex c. Præterea 17. eod. vel etiam deponatur, ut colligi- tur ex c. 1. eod. & habetur expresse in c. Si quis oblitus 4. & c. Quoniam 8. 14. q. 4. Si autem Lai- cus sit , usque ad dignam satisfactionem, vin- culo excommunicationis adstringatur, ex eod.c. Præterea.

13. Tertio usurarii manifesti patiuntur pœ- nam infamiae, c. Infames 2. circa finem. 3. q. 7. &

& l. *Improbum 20. Cod. ex quibus caus. infamia irrogatur.* Præterea usurarius manifestus non est admittendus ad Communionein Altaris, seu ad perceptionem S. Eucharistiae, nec Christiana ( si in hoc peccato decesserit ) sepulta tumulandus. Sed nec oblationes ejus quisquam accipere potest. Qui autem acceperit, vel eum Christianæ traxiderit sepulturæ, tenetur reddere quod accepit, & donec ad arbitrium Episcopi sui satisfaciat, ab officii sui manet executione suspensus, juxta textum in c. *Quia in omnibus 3. de usur.* & Clem. 1. *de sepultur.* ubi insuper decernitur ut qui scienter in Ecclesiastica sepultura sepelire præsumit prædictos usurarios manifestos, ipso facto excommunicationis sententiæ subjaceat. Item non est admittendus ad confessionem sive absolutionem suorum peccatorum, nec testamentum condere potest, nisi prius usuris satisficerit, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstet idoneam cautionem, juxta modum expressè statutum in c. *Quamquam de usur. in 6.*

14. Demum omisis reliquis, quæ videri possunt apud Thesaur. in libro *de pœnis Ecclesiasticis p. 2. tit. de Usurariis cap. 1.* sancitum est in cap. 1. *de usur. in 6.* ut nec Collegium, nec alia Universitas, vel singularis persona cuiuscumque sit dignitatis, conditionis aut status, alienigenas & alios non oriundos de terris ipsorum publi-

publice fœnebrem pecuniam excententes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris suis conductere, vel conductas habere, aut alias habitare permittant: sed hujusmodi usurarios manifestos omnes intra tres menses, de terris suis expellant, numquā aliquos tales de cætero admissuri: nemō illis ad fœnus exercendum domos locet, vel sub alio titulo quocumque concedat. Qui contra fecerint, si personæ fuerint Ecclesiasticæ, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, suspensionis; minores personæ singulares, excommunicationis; si autem Collegium seu alia Universitas, interdicti sententiam ipso facto incurvant. Quam si per mensem animo sustinuerint indurato, terræ ipsorum (quamdiu in eis usurarii commorantur) ex tunc Ecclesiastico subjaceant interdicto. Cæterum si laici fuerint, per suos Ordinarios ab hujusmodi excessu (omni cessante privilegio) per censuram Ecclesiasticam compescantur.

15. Utrum crimen usuræ sit mixti fori, ita ut cognosci possit tum à Judice sacerdotali, tum ab Ecclesiastico, disputatur inter Doctores.

De hac quæstione videri potest Gut-

tier. lib. 2. Canonicar. quæst.

cap. 18.

TIT.

## T I T. XI.

## De adulteriis &amp; stupro.

1. **A**Dulterium strictè sumptum est alieni thori violatio , atque committitur vel à conjugato cum conjugata, vel à conjugato cum soluta , vel à soluto cum conjugata , ut colligitur ex c.2.36.q.1.

2. Pœnæ contra adulteros statutæ plurimæ sunt. Olim in Lege veteri pœna fuit lapidatio, ut significatur in cap. 8. Joan. De Jure Cæsareo decreta olim fuit adulteris , sive viro , sive mulieri, pœna gladii, l. quamvis 30. §. fin. C. ad leg. Jul. de adult. & §. Item lex , Jul. inst. de publ. Judicis, quamvis postea quoad fæminas correcta fuerit illa lex , ut verberatæ in Monasterium mittantur : ita ut intra biennium viro uxorem repetere liceret , secus autem postea , juxta auth. sed hodie Cod. eod. Hodie quid hac inservandum sit , cognoscendum est ex particularibus statutis vel consuetudinibus regionum. Videri possunt Juristæ in tit. ff. ad leg. Jul. de adulter.

3. De Jure Canonico , adulteri tam masculi quam fæminæ , si præsertim in delicto perseverent , excommunicantur , ut sumitur ex c. intellexi

eximus 6. de adulter. & stupro. Mulieres autem  
iam in Monasterium detruduntur, & si ma-  
riti nolint eas recipere, ibi perpetuam pœni-  
tiam agere debent, cap. Gaudemus 19. de con-  
vni. conjug. Quod si adulterium commissum  
ita Clerico, isque tale crimen confessus, aut  
de eo convictus fuerit à Judice Ecclesiastico, de-  
ponendus est ab Officio & beneficio, & in Mo-  
nasterio ad agendum ibi pœnitentiam, toto  
vitæ suæ tempore, collocandus c. si quis Cleri-  
cus 10. dist. 81.

4. Præterea conjux innocens propter alte-  
rius adulterium agere potest ad separationem  
habitationis coram Judice Ecclesiastico, ad  
quem spectat hujus causæ cognitio ad eum fi-  
nem instituta, ex cap. Tuæ. 4. de procuratorib.  
secus esset si uterque conjux adulterii reus esset,  
in quo casu non debet matrimonialis habitatio  
separari ut constat ex cap. penult. & ult. de adul-  
ter. quia tunc paria crimina compensatione  
mutua tolluntur. Quod si maritus fit innocens,  
& sciat uxorem suam delinquisse, & absque pœ-  
nitentia permanere in fornicatione, non solum  
potest, sed etiam tenetur se ab ejus cohabita-  
tione dividere ad vitandum scandalum, ne vi-  
deatur ipse connivere & patrocinari adulterio  
uxoris, quia patronus turpitudinis est, qui cri-  
men celat uxoris c. i. 32. 10. q. 1. & c. Si vir. 3. de ad-  
ult. & stupro.

Z

§. Si

5. Si igitur accidat sententiam divortii ferri à Judice , separatur habitatio matrimonialis : sed & insuper uxor adultera post eandem sententiam , amittit dotem , eanique vir innocens lucratur . c. Plerumque 4. de donat inter vir. & uxor . quemadmodum & uxor innocens obadulterium mariti lucratur donationem propter nuptias , teneturque maritus uxori dotem suam restituere , durante adhuc matrimonio , ut ex pluribus docet Sanch. de Matrim. lib. 10. disp. 8. n. 11. sumiturque etiam ex c. 1. & 2. de donat . inter vir. & uxor .

6. Quomodo autem de jure recentiori Tridentini Ordinarius procedere debeat in causa adulterii contra adulteros , videri potest in ss. 24. de reform. matrim. c. 8.

7. Stuprum strictè acceptum significat fornicationem commissam cum virgine , ut explicat Gratian. in c. Lex. illa 2. 36. q. 1. Quamvis non numquam latius sumatur etiam pro peccato commisso cum vidua integræ vitæ & honestè vivente , ut videre est in l. inter liberas 6. ff. ad leg. Jul. de adult.

8. De Jure Canonico , si quis Virginem seduxerit ac defloraverit , dotare eam debet , & habere uxorem . Quod si pater virginis dare noluerit , tenetur saltem reddere pecuniam juxta modum dotis , quam virgines accipere conueverunt , cap. 1. de adulter. & stupro . Si autem ipse

ipse stuprator nolit illam accipere , corporali-  
ter castigatus , excommunicatusque in Mona-  
sterium , in quo agat pœnitentiam , retrudetur,  
de quo nulla sit egrediendi sine Judicis permis-  
sione licentia , c. 2. eod. Demum hoc grave cri-  
men in Clerico satis esse , ut idem Clericus de-  
ponatur , tradit Panor. in eod. c. 2. n. 4.

9. Alia spectantia ad hæc cæteraque delicta  
carnalia , videri possunt apud Theologos mo-  
rales.

## T I T. XII.

### De quibusdam peculiaribus Clericorum delictis.

1. Plures sunt tituli in 5. Decretalium , in qui-  
bus agitur de quibusdam delictis , quæ  
præsentim versantur circa susceptionem aut ad-  
ministrationem Ordinum Ecclesiasticorum ,  
& propterea dici possunt peculiaria Clerico-  
rum. Hujus generis delicta sunt , quæ præsenti  
hoc titulo comprehendimus.

2. Primum ejusdem generis delictum est , si  
quis Clericus depositus , vel excommunicatus ,  
vel interdictus , audeat in Ordine ministrare ,  
& de eo agitur in tit. de Clerico excomm. depos.  
vel inter. ministr. ac multiplex contra illud pœ-  
na decernitur. Prima pœna est : ut si Cleri-  
cus depositus propter crimèn , actum Ordinis

Z 2

aut

aut officii , à quo depositus est , exerceat, excommunicandus sit, c. 1. eod. idemque juris servandum sit , si Clericus degradatus , aut ab officio pro certis criminibus suspensus aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumperit, & postea ab Episcopo suo correptus , in incœpa præsumptione perduraverit. Quod si aliquis ista omnia contempserit , & Episcopus minime emendare potuerit, Regis judicio , ad requisitionem Ecclesiæ , exilio damnetur, c. 2. eod.

3. Item in cap. Clerici 3. eod. statutum est ut si Clericus interdictus vel excommunicatus ante absolutionem Divina officia celebraverit , nisi monitus sine dilatione redierit perpetuæ depositionis sententiam pro ausu tantæ temeritatis incurrat, & etiam beneficiis omnibus spoliatur, ut habetur in c. Fraternitati 6. eod.

4. Ejusdem demum criminis pœna est, ut si Clericus excommunicatus vel suspensus vel interdictus exerceat solemniter sibi prohibitum actum Ordinis, saltem majoris , irregularitatem incurrat prout sumitur ex c. 1. §. ult. de sent. excom. in 6. cap. 1. de sent. & re judic. in 6. §. ult. & liisque juribus. Nisi tamen Divina celebraverit cum ignorantia probabili suspensionis suæ ratione cuius excusaretur , non autem cum ignorantia crassa & supina aut erronea , quia hujus generis ignorantia non excusat, c. Apostolica 9. de Cler. excom. deposito &c.

5. Dixi



5. Dixi actum Ordinis saltem majoris, quia quoad Clericos minorum Ordinum utrum irregulares fiant ex eo quod censura ligati suorum Ordinum actus exerceant, quæstio est inter Theologos & Canonistas, cuius probabilissima resolutio ea esse videtur, quam tradit Suan. de cens. disp. 12. sect. 2. num. 10. videlicet irregulares fieri si actum exerceant solemniter, & ex proprio Officio tamquam Ministri ad id deputati, eo vestium genere, eoque tempore, loco, ceterisque circumstantiis, in quibus idem actus non nisi per Clericum ordinatum exerceatur: quia tunc appareat eundem Clericum operari ut Ministrum consecratum; secus autem si actum exerceant, qualiter etiam à laico fieri possit & soleat. Unde concludit ibidem idem Doctor, raro vel numquam hanc irregularitatem incurri, quia vix aliquid, aut aliquo modo faciunt Clerici in solis minoribus Ordinibus constituti, quod laici facere non consueverint.

6. Supradicta procedunt de Clerico excommunicato excommunicatione majori: si enim aliquis solum ligatus excommunicatione minori, celebrat, quamvis graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit: & licet eligi prohibeatur, non prohibetur eligere, vel ea quæ ratione jurisdictionis sibi competent, exercere, dummodo non in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra prohibi-



hibitionem Superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter se ingesserit: in quo casu est anathemate feriendus, c. ult. de Cler. ex-com. depof. &c.

7. Aliud Clericorum delictum eſſet, ſi in aliquo Ordine, quem nondum ſuſcepereunt, miſtrarent, ſeu aliquod ejus ministerium exercerent qualiter nonniſi per conſtitutum in eodem Ordine exerceri potest, de quo crime ſermo eſt in toto tit. *de Clerico non ordin. ministr.* Decernitur etiam ibi per Sacros Canones, ut ſi Clericus non ordinatus (quodidam communis Doctorum ſententia extendit etiam ad laicos) aliquod Divinum Officium ita exercuerit, abjiciatur de Ecclesia, ſeu privetur communione fidelium, & ad altiores Ordines non ascendat, imo & ab Ordine jam ſuscipio ſuspendatur pro arbitrio Episcopi per biennium aut triennium, ut habetur in cap. 1. & 2. *de Cler. non ordin. ministr.* ſive ea ſuſpicio extendatur, quoad omnes Ordines jam ſuſceptos, ut videtur ſenſiſſe Hostiensis, ſive ſolum procedat quoad Ordinem proxime & poſtremo ſuſceptum, ut videtur ſentire Sua. *de cens. disp. 42. ſect. 4. num. 4.* Huic etiam facit Bulla 81. Clementis VIII. Et ſi alias, ubi de eo qui cum non ſit Sacerdos, Missam celebra, aut Confessiones audit, ſtatuitur ut Sacris Inquisitoribus aut locorum Ordinariis tradatur

xcom-  
in quo  
ler. ex-  
si ina-  
nt, mi-  
tum ex-  
itum in  
uo cri-  
on ordin.  
s Cano-  
quodi-  
extendit  
cium ita  
privetur  
Ordines  
m susce-  
per bi-  
in cap.  
i suspen-  
nes jam  
nsis, sive  
xime &  
ire Suar.  
ic etiam  
ias, ubi  
am cele-  
ut Sacri  
s tradit.  
cur

tur degradandus, ac deinde Curiæ sæculari pu-  
niendus.

8. Aliud quoque Clericorum crimen esset, si vel per saltum promoverentur, hoc est supe-  
riorem Ordinem acciperent nondum accepto  
Ordine inferiori; vel si Ordinem furtivè susci-  
perent, hoc est sine consensu proprii Episcopi,  
aut absque prævio examine cum reliquis ordi-  
nandis se dolose conjungerent, unde post titu-  
los explicatos sequitur in 5. Decretal. tit. de Cle-  
ric. per saltum promoto, & tit. de eo qui furtive  
Ordinem suscepit.

9. Si quis igitur per saltum promoteatur,  
puta prætermisso Subdiaconatu Diaconus ordi-  
netur, ejus Ordinatio valida est, ut docet Glos.  
communiter recepta in cap. un. dist. 52. v. Sub-  
diaconatus & supponitur in cap. un. de Cler. per  
saltum promoto; Sed est illicita, & in ejus pœ-  
nam suspenditur à suscepti Ordinis executione,  
donec Ordo prætermisus suppleatur, post  
quem poterit Episcopus cum legitima causa ex  
misericordia dispensare, ita ut Ordinatus pos-  
sit ministrare etiam in Ordine per saltum su-  
cepto, dummodo tamen in eodem non mini-  
straverit tempore suspensionis, ut constat ex  
cod. cap. un: de Cler. per salt. prom. & ex Trid. sess.  
23. de resor. c. 14.

10. Quod attinet ad pœnam eorum qui furti-  
ve sint Ordinati, distinguendum est ut distin-

guitur in c. i. de eo qui Ord. furt. suscep. vel enim  
prohibitum illis erat ita furtive ordinari sub  
pœna excommunicationis ; vel nulla intermis-  
sio excommunicationis super hoc facta erat.  
Si primum , suspenduntur ab Ordine suscepto,  
& ad superiorem Ordinem prohibentur ascen-  
dere sine dispensatione Summi Pontificis: nisi  
tamen in aliquo Monasterio habitum Regula-  
rem suscepint , & in eo fuerint aliquanto  
tempore laudabiliter conversati : in quo casu  
poterit Episcopus misericorditer dispensare, ex  
cit. c. i. & 3. eod. Si autem sententia excommu-  
nicationis lata non fuerat , tunc furtive ordina-  
tus suspensus etiam erit à suscepti Ordinis ex-  
ecutione , sed post peractam pœnitentiam di-  
spensari poterit à proprio Episcopo , nisi alia  
impediant , ex eod. cap. 1. Consonat etiam Trid.  
sess. 23. de ref. cap. 8. ubi decernitur ut si quis ab  
alieno Episcopo ordinetur absque testimonio  
Ordinarii circa ejus probitatem & mores,  
Ordinans à collatione Ordinum per annum, &  
Ordinatus à susceptorum Ordinum execu-  
tione , quamdiu proprio Ordinario  
videbitur expedire , sit sus-  
pensus.

TIT.



T I T. XIII.

*De Privilegiis & Excessibus privilegiatorum.*

1. **A**lia criminum species breviter hic cognoscenda, est quæ committitur à privilegiatis qua talibus, atque consistit in abusu privilegiorum. Ad hujus intelligentiam, prælibandum aliquid est circa naturam & proprietates privilegiorum.

2. Privilegium generice sumptum est quasi quædam privata lex, ex cap. *Privilegia 4. dist. 3.* quia scilicet alicui privatæ personæ seu communictati vel loco concedit aliquid speciale contra, vel præter jus commune. Differt à dispensatione, quia nomine dispensationis solet intelligi concessio alicui facta contra jus commune in ordine ad unum aliquem actum exercendum, puta ad matrimonium contrahendum, quo actu posito, cessat dispensatio: de ratione autem privilegii propriè accepti est ut concedatur ad aliquid operandum vel non operandum ordinarie & stabiliter præter vel contra jus commune, ut satis indicat ipsum nomen legis, quæ per se significat quandam stabilitatem & permanentiam.

3. Privilegium ita explicatum solet multipliciter dividi. Primo enim aliud est privile-

Z 5 gium



gium reale , aliud personale , ut sumitur ex l.  
Privilegia. 156. ff. de diver. reg. jur. Privilegium  
reale dicitur quod immediate & directe con-  
ceditur rei vel officio , unde durat quamdiu  
durat ipsa res aut officium , & consequenter  
transit ad successorem in eadem re vel officio.  
Privilegium personale est quod immediate &  
directe conceditur personæ , unde illam non  
egreditur & cum ea expirat , ut constat ex cit.  
l. Privilegia , & l. Sordidorum 13. Cod. de ex-  
cusationib. mynerum. lib. 10. Aliqui etiam af-  
fignant tertiam speciem privilegii , quam  
vocant privilegium mixtum , quo nomine  
significatur ab ipsis ea species privilegiorum ,  
quæ conceduntur alicui certo generi persona-  
rum , puta Clericis , Religiosis , filiis familiæ  
&c. ita ut transeant etiam ad eos omnes , qui  
successivè idem genus personarum consti-  
tuuntur.

4. Alia privilegiorum divisio est in perpe-  
tua & temporalia. Perpetua dicuntur quæ  
conceduntur absolute & sine temporis limi-  
tatione , unde de se durant quamdiu non fu-  
rint revocata. Ad hoc genus reducuntur quæ  
sine temporis limitatione conceduntur perso-  
næ fictæ , nempe corpori mystico seu politi-  
co , puta alicui civitati , universitati , Col-  
legio , Religioni , &c. & quæ conceduntur per-  
sonis certi generis , quæ communitatem con-

stituunt ; qualia privilegia diximus ab aliquibus vocari privilegia mixta : cum enim tales communitates & mystica corpora non deficiant, neque deficit privilegium illis concessum. Temporalia autem privilegia sunt, quæ restitutè conceduntur ad certum tempus , qualia nonnumquam esse solent , quæ conceduntur singularibus personis in individuo.

5. Concedere privilegia ille omnis & solus potest qui potest legem ferre , & in materia sua dispositioni subjecta , quamvis ceteroquin concessio privilegiorum non sit propriè actus jurisdictionis , sed merè gratiosæ liberalitatis. Hinc privilegium concedi potest etiam non subdito , dummodo hic sit aliqua ratione inferior concedente: quamvis enim privilegium sit quædam privata lex , attamen quatenus privilegium est non obligat privilegiatum , & ideo relatè ad eundem non est necessaria in concedente jurisdictione.

6. Rursus sicut habens potestatem legislativam potest concedere privilegia , ita etiam potest privilegia revocare. Qua tamen in re distinguunt Doctores cum Panor. in cap. Novit 13. de Judic. nu. 23. & seqq. inter privilegium concessum , subdito , & inter privilegium concessum non subdito , quod privilegium concessum non subdito , & ab eo acceptatum , non potest à concedente revocari pro libito , quia

se habet tamquam gratuita donatio legitimè acquisita ; Princeps autem privare non potest non subditum rebus legitimè acquisitis. E converso privilegium concessum subdito potest ab ipso concedente revocari si sit privilegium gratuitum sistens in pura ratione privilegii, id est facultatis & licentiae contra vel præter jus commune, quia quod Princeps per privilegium liberaverit subditum à præcepto legis, non facit quod non possit iterum illud idem præceptum eidem imponere, in quo æquivalenter constituit revocatio privilegii. *Dixi si sit privilegium gratuitum &c.* secus enim accidit si privilegium concessum sit per contractum onerosum aut lucrative, in quo casu pro libito revocari non potest, quia etiam Princeps tenetur servare pacta facta cum subditis. *Videri potest Suar. de leg. lib. 8. c. 37.*

7. Revocatio privilegii fieri potest , tacite vel expressè. Tacite fit, quando aliquid agitur vel statuitur à Principe , quod sit contrarium privilegio & sine privilegii derogatione vel abrogatione subsistere non possit : in quo casu si Princeps habeat notitiam privilegii , & hoc non obstante actum illum faciat incompatibilem cum privilegio , censentur virtualiter velle revocare privilegium, vel totaliter & in perpetuum si actus ille contrarius sit absolute incompatibilis cum toto privilegio ejusque perman-

nen-



nentia; vel particulariter & ad aliquod tempus,  
si prædictus actus contrarius habeat dumtaxat  
partialiter & ad tempus limitatam contrarieta-  
tem. Dixi *Si Princeps habeat notitiam privilegii.*  
*Si enim ignorantia privilegii interveniat, aut ea*  
*præsumi possit in Principe, tunc per actum pri-*  
*vilegio contrarium non revocatur privilegiū,*  
*ut clare sumitur ex c. 1. de const. in 6. ubi Bonif.*  
*VIII. declarat Rom. Pontificem non revocare*  
*tacite per suam legem ea quæ potest probabili-*  
*ter ignorare, nisi expressè caveatur in ipsa lege:*  
*quia videlicet cum tali ignorantia non conjun-*  
*gitur virtualis voluntas, quæ in incognitum*  
*ferri non potest.*

8. Expressa revocatio privilegii est quando fit  
verbis expressis sive in specie & particulari, sive  
sættem per clausulas generales, ut cum dicitur  
v. g. *non obstantibus quibuscumque privilegiis*  
*&c. quales clausulæ generales regulariter suf-*  
*ficiunt ad tollendum quodlibet particulare pri-*  
*vilegium, quia in toto partem non est dubium*  
*contineri, c. 80. de reg. jur. in 6. Duxi regulariter:*  
*quia sunt aliquæ limitationes in ordine ad ali-*  
*quas species privilegiorum, quæ non tolluntur*  
*per ejusmodi clausulas generales, sed debet il-*  
*lorum specialior mentio fieri. Talia esse cen-*  
*suntur privilegia quæ continentur in corpore*  
*Juris, adeoque non sunt tantum privilegia, sed*  
*etiam leges publicæ, & Canones, unde pro illo-*

lorum derogatione opus esset clausula sicutem  
in genere derogatoria legum aut Canonum, ut  
colligitur ex Glos. communiter recepta in auth.  
*Quia in provincia Cod. ubi de criminib. v. illic o-*  
*mni privilegio.* Item ejus generis sunt privile-  
gia , quæ in sui tenore continent ut revocari  
non possunt , nisi fiat expressa eorum mentio  
de verbo ad verbum , aut aliquid simile. Ad  
idem demum genus reducuntur privilegia  
concessa per modum contractus , quæ nonnulli  
ex gravissima causa revocantur , ubi eorum re-  
vocatio est in præjudicium tertii in jure acqui-  
sito & justitiae , quod præjudicium non presu-  
mitur nisi exprimatur , ut docet Panor. in c. V.  
xiens 19. de prescrip. n. 12.

9. Præter revocationem quæ se tenet ex par-  
te Principis , amitti quoque potest privilegium  
per renunciationem , quæ ab habente privile-  
gium fiat vel expressè vel tacite , exceptis tamen  
iis privilegiis quæ concessa sunt in favorem to-  
tius Ordinis aut Communitatis , quibus renun-  
ciari non potest à persona privata , ut constat ex  
cap. Si diligent. 12. de foro compet. Item exce-  
ptis iis privilegiis , quæ continent etiam jus  
tertii , cui per talem renunciationem præjudi-  
caretur , ut est exemplum in cap. Cum tempore  
de arbitris.

10. Loquendo igitur de privilegiis renun-  
ciabilibus , illorum renunciatio fieri potest vel

ex



expressè vel tacitè. Expressè fit quando quis habet formalem voluntatem satis expressè extenuis declaratam abdicandi à se totum jus & facultatem privilegii : tacitè autem cum quis aliquid faciat aut omittit, cui actioni aut omissioni connexa sit vel ex natura rei, vel ex dispositio-  
ne juris amissio privilegii.

ii. Sub hoc genere tacitæ renunciationis includitur amissio illa privilegii, quæ habetur per non usum ejusdem privilegii : est enim sententia satis recepta, privilegium aliquod amitti per ejus non usum longo tempore, puta decennio, continuatum liberè etiam quando se obtulit occasio illo utendi, ut videre est apud Innoc. Panor. Felin. & alias in c. Cum accessissent 8. de constit. & apud Juristas cum Bart. in l. falso Cod. de diver. rescr. & l. i. ff. de nundin. Quam tamen doctrinam non esse universaliter intelligendam de quo libet privilegio, sed solum de aliquibus, docet Glos. penult in c. Ut privilegia 24. de privileg. Suar. de leg. lib. 8. cap. 34. n. 15. & seqq. Laym. lib. 1. Theol. mor. tract. 4. c. 23. n. 21. & 22. Duplex enim datur privilegiorum species : aliqua sunt quæ præcisè dant facultatem ad aliquid, & non tendunt in ullius alterius gravamen, qualia sunt v. g. privilegia celebrandi ante auroram, absolvendi à casibus reservatis, comedendi carnes in diebus prohibitis &c. alia sunt quæ redundat in gravamē & onus aliorū, ut puta pri-

vile-

vilegium imponendi tributum , exigendi decimas, visitandi Monasteria exempta &c. Privilegia primi generis censem non amitti per præcism non usum , quibus etiam fayet regula illa tradita à Panor. in cap. Joannes 7. de Cler. coniug. num. 9. quod quando lex non necessitat ad agendum , sed solum dat facultatem ad agendum ; non tollitur per non usum , & quod in his quæ sunt meræ facultatis , non inducitur consuetudo , quam regulam probavit etiam Sacra Rota dec. 536. n. 4. p. 2. recent. At alterius generis privilegia , quæ tendunt in aliorum gravamen , docent amitti si quis illis longo tempore non utatur , etiam quando est occasio & facultas utendi , ad quod facit l. i. ff. de numer. juncta ibid. Gloss. v. tempore.

12. Ratio disparitatis est : quia circa privilegium aliis onerosum locum habet præscriptio. Nam enim , in quorum gravamen aut servitutem privilegium cederet , quamdiu privilegium non exercetur , sunt in quasi possessione suæ libertatis ; unde si talis possessio continuetur usque ad spatum temporis , quod ad legitimam præscriptionem requiritur , robur acquirit ex titulo ejusdem præscriptionis. At circa privilegium pure facultativum , & nulli onerosum nullus est qui contra illud præscribat , quia sicut per talem privilegium nemo gravatur , ita perejus non usum nemo dicitur reponi in quasi posse.

sessione suæ libertatis; ubi autem nulla possessio  
est, ibi locū non habet ulla præscriptio, ut con-  
stat ex cap. Sine possessione 3. de reg. Jur. in 6. & l.  
Sine 25. ff. de usurpat. & usucap.

13. Quod dictum est de non usu privilegii,  
debet cum proportione etiam intelligi de con-  
trario usu: quia etiam in hoc videtur habere lo-  
cum illa distinctio inter privilegia aliis onero-  
la & inter privilegia nemini onerosa; quod  
privilegia aliis onerosa amittantur per con-  
trarium usum tanto tempore continuatum,  
quantum requiritur ad præscriptionem,  
puta si quis habens privilegium non solvendi  
tributa, solverit tamen longo tempore, puta  
decennio aut etiam longiori, quantum satis est  
ad præscriptionem; in eo casu amittat totaliter  
privilegium, quamvis quamdiu præscriptio  
impleta non fuerit amittat solum fructus privi-  
legii q̄to ad actus particulares titulo cuiusdam  
tacitæ renunciationis, quam censerur facere  
privilegiarius pro eisdem actibus, supposito  
quod privilegio renunciare possit: privilegia  
autem, quæ nemini sint onerosa, nunquam  
totaliter amittantur per solum contrarium u-  
sum etiam longo tempore continuatum, quia  
circa ejus generis privilegia non habet locum  
præscriptio. Videri potest Suar. lib. 8. de legib. c. 35.

14. Alius modus amittendi privilegia est per  
torundem abusum, nam ut dicitur in cap. Uti  
ista

ista 7. dist. 74. privilegium meretur amittere , qui  
permissa sibi abutitur potestate . Nomine autem  
abusus propriè intelligitur defectus commis-  
sus in ipsomet usu privilegii , vel in his quæ il-  
lud concernunt , ut v. g. Si quis prætextu pri-  
vilegii aliquid plus faciat , aut omittat , quam  
a privilegio concedatur , quod est abuti pri-  
vilegio per excessum ; aut si quis ex privilegio  
sumat occa sionem peccandi ; aut demum si quis  
pravis suis moribus directè auferat finem &  
fundamentum privilegii , ut est exemplum  
in Clerico beneficiato , cui concessum fuerit  
privilegium morandi alibi propter studium ,  
& ille neglecto studio , aliis actionibus inutili-  
bus occupetur .

15. In omnibus his aliisque similibus abu-  
sibus privilegium amittitur , quamvis non  
semper eodem modo . Aliquando enim amit-  
titur ex natura rei ; quomodo docet Suar. in  
cit. lib. 8. cap. 36. num. 7. beneficiatum missum  
ad studia amittere privilegium percipiendi fra-  
etus in absentia , si nihil studeat . Aliquando au-  
tem propter abusum amittitur privilegium  
ex dispositione Juris positivi , vel per senten-  
tiam Judicis , vel etiam ipso facto , quemad-  
modum qui sub spe immunitatis homicidium ,  
aut mutilationes membrorum in Ecclesia com-  
mittere non veretur , ipso facto privatur pri-  
vilegio Ecclesiasticæ immunitatis , ex cap. fin. de-

111a

man. Eccles. Utrum autem hic & nunc in particularibus casibus amissio privilegii veniat ipso facto, an expectari debeat sententia Judicis, pendet ex verbis legis, quæ si dicat *privilegium metetur amittere*, aut *privetur privilegio &c.* aliave similia, signum est non amitti ipso facto: secus est si dicatur *noverit se privatum privilegio*, aut *amissio privilegii ipso facto incurratur &c.*

16. Ne abusus per excessum committatur in privilegiis, illud est diligenter servandum, ne privilegium extendatur ultra id quod in eo permittitur ac significatur *juxta proprietatem verborum*. Quia autem nonnunquam continet, verba privilegiorum capacia esse strictioris aut amplioris significationis, ideoque nonnumquam dubitari posse quomodo hic & nunc fieri debitum talium verborum interpretatio; propterea statuuntur à Doctoribus aliquæ regulæ tum circa privilegia nullatenus derogantia juri communi aut alicujus tertii, quæ dicuntur purè favorabilia; tum circa privilegia magis rigorosa, quæ vel derogent juri communi, vel juri alicujus tertii, quæ vocantur *privilegia odiosa*.

17. *Privilegia primi generis*, quæ videlicet fint purè favorabilia, docent esse amplè interpretanda intra verborum proprietatem, quantum recta ratio atq; prudentia dictaverit. Ita desumitur ex c. Olim. 16. de verb. signif. c. Odia

15. de reg. jur. in 6. & l. Beneficium 3. ff. de conf. Princip. Privilegia autem secundi generis, quæ scilicet sint derogatoria juris communis, aut præjudicium inferant tertiæ personæ contra jus quod ipsa jam habet acquisitum, utpote odiosa, docent esse potius restringenda, ut sumitur ex cit. c. Odia 15. de reg. jur. in 6. Videri potest Suar. in cit. lib. 8. de leg. cap. 27. & 28.

18. Particulares abusus privilegiorum, seu particulares excessus privilegiatorum à Sacris Canonibus damnati, videri possunt in cap. Ad hæc 5. c. Patentibus 10. c. Tuarum 11. c. Ex parte 27. alisque juribus de privileg. nec non eod. tit. in 6. & Clem. & Extrav.

## T I T. XIV.

## De Pœnis.

1. Post titulos de criminibus congruenter sequitur rubrica de pœnis: decet enim pœnam esse comitem culpæ, ut quos Dei timor à peccato non retrahit, saltem pœna corripiat.

2. Nomen pœnæ duplicitate sumi potest. Aliquando enim sumitur in ampliori significatione pro quolibet damno, seu incommodo, quod alicui infligatur, etiamsi nulla ejus culpa præcesserit, ut colligitur ex c. sine culpa 23. de reg. jur. in 6. Aliquando autem sumitur in strictiori



tiōri significatione , & extenditur tantum ad ea coercitionum genera , quæ alicui infliguntur propter culpam ab eo commissam , sub qua acceptio definiuntur in l. aliud. 131. ff. de verb. fgnf. noxæ vindicta , & delictorum coercitio , in cap. autem Pœnitentia. 4. de pœnit. dist. 3. læsio quæ punit , & vindicat quod quisque commisit.

3. Sicut autem varia sunt criminum genera variaque tribunalia , in quibus crima puniuntur ; ita & varia sunt pœnarum classes , ut de jure civili videti potest in toto tit. ff. Et Cod. de pœnis , & de Jure Canonico eod. toto tit. de pœnis qui est in 5. Decretal. in 6. in Clem. & in Extravag.

4. Pœna Ecclesiastica , de qua nobis est specialiter agendum , intelligitur illa , quæ per potestatem Ecclesiasticam infligitur , atque dividitur in pœnam merè spiritualem , & in pœnam temporalem. Pœna primi generis est quæ principaliter animam punit , privans illam spiritualibus bonis , quamvis interdum in consequiam privet etiam aliquibus corporalibus. Ad hoc genus reducuntur censuræ , privatio beneficiorum , aut vocis activæ aut passivæ , item inhabilitates &c. Pœna Ecclesiastica temporalis est quæ principaliter privat temporalibus bonis , eaque subdividitur in pecuniariam , & corporalem qualis est pœna carceris , verberatio ,

tio, exilium &c. adde, & poenam mortis, quæ non excedit Ecclesiastica potestatem, ut colligitur ex extrav. unam sanctam i. de major. Obed. inter comm. quamvis Ecclesia non soleat hanc potestatem exequi per Judices, & Ministros Ecclesiasticos, sed per laicos, & mediante illorum potestate: quinimo, ut piam Matrem decet, quando Ecclesia aliquem Clericum degradatum, vel etiam laicum tradit potestati sacerdotali, efficaciter pro eo intercedit, ut citra mortis periculum sententiam moderetur, ut dicitur in c. novimus 27. de verb. signif. c. Reos 7.23.q.5.

5. Rursus poena Ecclesiastica alia est ferenda sententiæ, alia latæ sententiæ. Poena ferenda sententiæ intelligitur illa, quæ non incurrit nisi mediante sententia Judicis condemnatoria aut executoria. Poena latæ sententiæ est quæ incurrit ex ipso Jure, seu canone disponente, independenter à ministerio Judicis, seu absque alia sententia condemnatoria, vel executoria, quia ipsum iustificat secum executionem. Utrum autem in particularibus casibus poena aliqua per legem statuta dicenda sit ferenda aut latæ sententiæ, pendet ex verbis ipsius legis, quæ si aliquando ambigua sint, & omnibus expensis probabiliter dubitetur utrum contineant poenam latæ, vel ferendæ sententiæ, in tali casu ex pluribus, quos

re-



refert, supponit Suar. lib. 5. de leg. c. ip. 6. num. 3. intelligenda esse ferendæ, quia in pœnali materia interpretatio fit in partem benigniorem, ut constat ex cap. in pœnis. 49. de reg. jur. in 6. & l. interpretatione 42. ff. de pœnis. Videri potest idem Suar. in cit. c. 6.

6. Quamvis tamen circa pœnam latæ sententia, ut incurritur, non requiratur sententia Judicis ipsam imponentis, cum imponatur per ipsam legem; quæri nihilominus potest utrum faltem requiratur sententia declaratoria criminis?

7. Respondent communiter Authores, quod si sermo sit de censuris impositis per Canonem latæ sententiæ, illæ incurrintur ipso facto absque ulla sententia declaratoria criminis, idem dic de irregularitatibus, & ita communiter servatur in praxi. Si autem sermo sit de pœnis à censura distinctis; vel illæ sunt pœnae pure privativæ, & quæ nullum requirunt actum physicum hominis ad sui consummationem, seu executionem, quales sunt inhabilitates, privationes tituli, seu solius dominii civilis, privationes vocis activæ aut passivæ &c. vel sunt pœnae quæ ad sui executionem indigent aliqua hominis actione, qualis est privatio bonorum civiliter, & naturaliter possessorum, pœna exili &c.

8. Primi generis leges pœnales, quæ videlicet

delicet ad sui executionem nullum requirunt actum physicum hominis, si contineant poenam latæ sententiæ, habent absolutè suum effectum, etiam in delictis occultis ante omnipotem sententiam declaratoriam criminis, ut docent Doctores citati à Suar. *in cit. lib. 5. cap. 9. n. 2.* Unde si contingat v. g. ab aliqua persona committi delictum, quod per Sacros Canones inducat inhabilitatem, seu impedimentum dirimens ad matrimonium cum certa persona contrahendum, ante quamcunque sententiam declaratoriam criminis censetur absolutè inducta eadem inhabilitas, & matrimonium judicatur irritum, si ab eademi persona cum illa alia fuerit attentatum.

9. Quod attinet ad leges poenales alterius generis, quæ ad sui executionem aliquem requirunt actum physicum hominis, res est controversa inter Doctores, aliis afferendibus ipsas incurri, & effectum habere ante sententiam declaratoriam criminis, adeoque ante ipsam teneri delinquentem relinquere rem quam per legem privatur, quam sententiam tenet *Abb. in c. i. de constit. n. ii. Felin.* Aliique plures citati à Suar. *cap. 8. n. 4.* Aliis contra afferendibus, ejusmodi leges poenales quamvis non requirant sententiam condemnatoriam, regulatiter tamen requirere declaratoriam criminis, nisi tamen in ipsa lege poenali aliqua verba ad-



dantur, quæ satis explicit intentionem Legis-  
latoris esse, ut inducatur absolute poena ante-  
declaratoriam, aut nisi cæteroquin lex ipsa poe-  
nalis esset inutilis, & inefficax. Huic sententiæ  
videtur favere Innoc. in c. cum nostris 6. de con-  
cess. præb. n. 1. aliique plures relati ab eod. Suar.  
ibid. n. 5. ubi concludit eandem esse probabilio-  
rem: tum quia communis usus (ut ipse testatur)  
ita videtur tales leges interpretari; tum etiam  
quia non videtur deesse fundamentum in Jure:  
nam in c. cum secundum. 19. de hæret. in 6. decer-  
nitur ut bona hæreticorum sint ipso Jure con-  
fiscata, & tamen eorundem bonorum occupa-  
tio fieri non possit, nisi promulgata fuerit sen-  
tentia criminis declaratoria.

## T I T. XV.

## De Sententia excommunicationis.

1. ] Nter reliquas poenas, quæ per potestatem  
Ecclesiasticam infliguntur, potissimum lo-  
cum habent censuræ, per quas privatur homo,  
quando per illas punitur, spiritualibus bonis.  
Est autem censura triplex, videlicet excommu-  
nicatio, suspensio, & interdictum, ut sumitur  
ex c. quaranti zo. de verbis. f. gnif. de quibus sin-  
gulis agendum est, inito facto ab excommuni-

A a

catio-

catione, quæ est præcipua censuræ species, cap.  
corripiantur 17.24. q.3.

2. Excommunicatio est censura Ecclesiastica separans Christiamum, cui infligitur, à communione fidelium, ut colligitur ex *cap. omnis Christianus* 32.11. *quest. 3.* Ad hujus intelligentiam, sciendum est, communionem quam inter se fideles habent, triplicem esse, nempe purè internam, purè externam, & mixtam. Communicatio purè interna consistit in fide, charitate, gratia, aliisque supernaturalibus donis, quibus fideles Christo Domino tamquam Capiti uniuntur. Communicatio purè externa consistit in convictu purè externo, videlicet in colloquiis, contractibus, commerciis &c. Communicatio mixta consistit in usu, & administratione Sacramentorum tam activa quam passiva, in communib[us] suffragiis Ecclesiæ, in Divinis Officiis, & Ecclesiastica sepultura.

3. Communicatio itaque, cuius privatio per excommunicationem inducitur, propriè loquendo non est purè interna, quia hujus privatio vel nullatenus inducitur, vel supponitur antecedenter inducta per culpam lethalem, in cuius pœnam excommunicatio feratur; sed est alia duplex species communicationis, purè externæ scilicet & mixtæ, unde est antiquis ille versiculus. *Os, orare. vale, communio, mensa negatur,* diverso tamen modo ac rigore pro



pro majori vel minori gravitate censuræ, ut ex  
descendis patebit.

4. Duplex enim est excommunicationis spe-  
cies, quarum una dicitur excommunicatio  
major, alia excommunicatio minor, ut sumi-  
tur ex cap. penult. de sentent. excomm. Excom-  
municatio major vocari etiam solet anathema,  
quæ vox est Hebræorum propria, ut observat  
Hieron. ad Galat. 1. quamvis nonnumquam in  
sacris Canonibus per anathema specialiter si-  
gnificetur excommunicatio major solemniter  
promulgata candelis accensis, & postea extin-  
ctis, aliisque cæremoniis ab Ecclesia institutis,  
de quibus sermo est in c. debent 106. n. q. 3. quæ  
est poena omnium, quæ ab Ecclesia infligantur,  
gravissima, ut sumitur ex c. cum non ab homine  
10. de judiciis.

5. Inter utramque hanc excommunicationis  
speciem plures differentiæ interveniunt. Primo  
enim differunt quoad effectus: nam excom-  
municationis minoris duo effectus recensentur,  
primo quod taliter excommunicatus privetur  
usu passivo, seu susceptione Sacramentorum,  
cap. penult. de sent. excom. & insuper illicetè con-  
ferat, quamvis validè, Ecclesiastica Sacramen-  
ta, cap. si celebrat. ult. de Cler. excom. secundò quod  
sit inhabilis ad obtinenda beneficia, ita ut si e-  
ligatur, ejus electio sit irritanda, ex eod. c. si ce-  
lebrat.

A a 2

6. Effe-

6. Effectus autem excommunicationis majoris plures sunt. Primo enim ita excommunicatus privatur usu activo, & passivo sacramentorum, nempe ut neque possit administrare neque recipere Sacra menta, c. latores. 4. de Cler. excom. & c. cum illorum. 2. de sent. excom. Secundò est privatus communibus Ecclesiae suffragiis, seu subsidiis spiritualibus nomine Ecclesiae factis, c. à nobis 28. & c. sacris. 38. eod. Tertiò prohibetur interesse divinis officiis quæ sunt à Ministris Ecclesiae ad ea deputatis, cap. reponso. 43. eod. & cap. alma mater. 24. eod. in 6. Quartò est inhabilis ad obtainenda beneficia, c. postulatis. 7. de Cler. excom. Quintò est privatus omni usu seu executione jurisdictionis Ecclesiasticæ, c. Audivimus. 4. 24. q. 1. & c. ad probandum. 24. de sent. & re judic.

7. Sextò est exclusus ab omni communione forensi, ita ut exercere non possit officium publicum fori externi, & per exceptionem excommunicationis repelliri possit in utroque foro, c. Decernimus 8. de sent. excom. in 6. c. exceptionem 12. de exceptionib. & c. i. eod. in 6. Septimò est privatus omni communicatione civili & politica cum aliis fidelibus, ita ut excommunicatus vitando non liceat taliter communicare, cap. Nuper 29. & c. penult. de sent. excomm. aliquique juribus. Octavò admitti non potest ad Ecclesiasticam sepulturam, saltem si sit excommunicatus

catus vitandus , ut cui non communicavimus vivo , neque communicemus defuncto , cap. Sa- cris 12. de sepulturis . Quod si contingat ipsum de facto in Ecclesiastico cæmeterio tumulari , si ab aliorum corporibus discerni poterit , exhumari debet , & procul ab Ecclesiastica sepultura ja- stari . Plura alia spectantia ad hos aliosque si- miles excommunicationis majoris effectus , vi- deri possunt apud Theologos .

8. Altera differentia inter majorem & mi- norem excommunicationem , est quod excom- municatio major , ut communiter fertur , num- quam infligitur nisi pro peccato mortali , cap. Nullus 42. 11. q. 3. c. Ecce 18. 24. q. 3. & Trid. sess. 15. de refor. cap. 3. At excommunicatio minor ferri etiam potest ob culpam venialem ut docet Suar. de cens. disp. 4. sect. 4. n. 6. Imo quamvis de jure ferri posset , & olim fortasse ferri soleret pro variis culpæ speciebus , nunc tamen usus est ut numquam incurrit nisi à communicanti- bus cum excommunicato vitando ; nisi tamen communicent in Divinis , aut in crimen crimi- noso , videlicet in eo crimen propter quod a- lius excommunicatus est , quia in istis casibus incurrit excommunicatio major , cap. Signi- ficavit 18. c. si concubinae 55. de sent. excomm. & c. Statuimus 3. eod. in 6.

9. Excipiuntur tamen casus aliqui , in qui- bus aliquo modo communicantes extra Divina

& extra crimen criminosum cum excommunicatis, excusantur, qui casus veteri illo vericulo continentur: *Utile, lex, humile, resignata, necesse.* Per utile permittitur communicatio illa, quæ ad spiritualem salutem excommunicari conducat, ut puta si eidem salutaria confilia præbeantur, cap. *Cum voluntate 54. de sent. excomm.* Per particulam *lex* intelligitur hie lex matrimonialis, ex qua lege permittitur uxori communicare cum marito excommunicato, ex cap. *Quoniam multos 103. 11. quest. 3.* Per particulam *humile* permittitur subjectis communicare cum iis quibus subjecti sunt in iis rebus, in quibus sunt subjecti, supposito quod illorum subjectio sit ex natura rei conjuncta cum convicta & cohabitatione, ex eod. c. *Quoniam multos 103. 11. quest. 3. de sent. excomm.* Per particulam *res ignorata* excusantur qui cum excommunicatis ignoranter communicant, ex eod. c. *Quoniam multos 103. 11. quest. 3. de sent. excomm.*

10. Hactenus dicta de incursu excommunicationis minoris propter communicationem cum excommunicatis, intelligenda sunt relate ad

ad excommunicatos vitandos. Quinam autem sint excommunicati vitandi controvertitur inter Doctores. Olim omnis excommunicatus erat vitandus, ut colligitur ex c. Cum non ab honine 14. eod. Postea in Concil. Constantiensi edita fuit constitutio *Ad evitanda scandala*, quæ refertur à S. Antonino 3. p. tit. 25. cap. 3. in qua statutum fuit ut nemo teneatur abstinere à communicatione cum excommunicato, nisi sit publicè denunciatus, aut nisi notoriè sacrilegas manus in Clericum injecerit. Huic constitutioni aliquam moderationem apposuit Concilium Basileense sess. 20. in fine sub tit. *de excommunicatis non vitandis*, ut scilicet non solum publicè denunciatus, & non solum notorius Clerici percussor, sed etiam quicumque notorius excommunicatus, quamvis non denunciatus, vitandus sit.

ii. Hinc orta est controversia inter Doctores utrum servanda sit constitutio Concilii Constantiensis, an constitutio Basileensis? sunt qui sentiant pro Basileensi, quos refert Suar. *de cens. disp. 9. sect. 2. n. 4.* eamque Fagnan. in cap. *Quod à Prædecessore 1. de schismat. n. 53.* & seqq. censet fuisse confirmatam pro tota Ecclesia à Conc. Later. sub Leone X. Oppositum docent plures graves Doctores quos citat & sequitur idem Suar. *ibid. n. 5.* Castrop. *de cens. disp. 2. punto 4. n. 5.* & Guttier. *Canon. quest lib. 1. c. 1.* qui testantur

tur constitutionem Constantiensim esse usu receptam , & Ecclesiæ consuetudine , quæ est optimæ legum interpres . Ad id autem quod opponitur ex Concil. Later. sub Leone X. respondet Suan. in loco citato quod ibi non agebatur de lege ferenda aut observanda circa hoc pro universa Ecclesia , sed solum de Concordatis inter Pontificem & Gallos . Videri possunt Authores citati .

12. Illud tamen hac in re extra controversiam est , quod omnes excommunicati , quamvis sint tolerati , teneantur abstinere à communicatione cum aliis fidelibus . Ratio est ex ipsa Consit. Constantiensi : quia scilicet permisso communicatio nis cum excommunicatis toleratis , ubi illa locū habet , non est inducta in favorem ipsorum excommunicatorum , sed solum in favorem aliorum fidelium : quare pro ipsis excommunicatis perseverat jus antiquum , quo generaliter prohibetur communicatio cum excommunicatis .

13. Tertia demum differentia inter majorem , & minorem excommunicationem , est quod excommunicatio minor numquam ferri solet ab homine , hoc est per sententiam judicis , sed solum fertur à jure , seu à lege illam imponente , idque nonnisi pro casu communicationis cum excommunicato ut explicatum est : at excommunicatio major ferri solet tum ab homine , tum à Jure .

14. In-



14. Inter sententiam excommunicationis majoris latam ab homine , & inter latam à Jure, plures differentiæ sunt. Inter reliquas ea est , quod sententia excommunicationis lata à Jure est perpetua ex natura sua , & tamdiu durat , quamdiu lege aut consuetudine contraria non abrogatur; at sententia excommunicationis lata ab homine non incurritur , nisi quamdiu durat ius, qui illam tulit, jurisdiction : quamvis si quis illam contraxerit antequam cessaret ea jurisdiction , permaneret illa ligatus etiam extincta eadem jurisdictione quamdiu non absolveretur.

15. Præterea sententia excommunicationis à Jure fertur pro delictis futuris , quamvis executionem non habeat nisi quando delicta patrata sunt , nullamque monitionem necessario prærequirit , quia ipsa lex gerit vices monitionis ; at sententia excommunicationis ab homine fertur etiam pro delictis præteritis , ac nonnisi præmissa trina monitione , aut saltem unica tribus æquivalente , posito scilicet tripli- ci temporis interstitio , quorum primum pro prima monitione sit , secundum pro secunda , tertium pro tertia , c. *Sacro 48. de sent. excomm.* & c. *Constitutionem 9. eod. in 6.* Alioquin Judex , monitione non præmissa præsentibus personis idoneis , per quas ( si necesse fuerit ) possit probari , excommunicationis sententiam ferens interdicitur ab ingressu Ecclesiæ per mensem unum

num, alia etiam pœna mulctandus, si visum fuerit expedire, ex eod. cap. Sacro. Item in cap. 1. eod. in 6. præcipitur, ut quisquis excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio profatur. Exemplum autem hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere intra mensem si fuerit requisitus, super qua requisitione faciendum est publicum instrumentum, vel litteræ testimoniales conficiendæ sigillo authentico consignatæ. Quod si quis judicium hujusmodi constitutionis temerarius extiterit violator, ab ingressu Ecclesiæ & Divinis officiis per mensum unum suspenditur. Quæ eadem servi quoque debent in ferendis sententiis suspensionis & interdicti.

16. Sententia excommunicationis ab homine ferri non potest nisi ab habente potestatem vel Ordinariam vel delegatam excommunicandi. Potestatem ordinariam habent qui sunt in officio seu Dignitate Ecclesiastica constituti, cui in perpetuum annexa est jurisdictio Ecclesiastica in foro externo. Potestatem delegatam habent, quibus illa competit ex speciali commissione, quæ de Jure ordinario fieri non potest laico, aut Clerico conjugato, aut mulieri, sed solum Clerico gaudenti Clericalibus privilegiis.

17. Quem-



17. Quemadmodum autem excommunicationem ferre non potest nisi Superior & habens in foro externo jurisdictionem Ecclesiasticam ; ita nec excommunicatione ligari , nisi subditus ejusdem jurisdictionis Ecclesiastice , qui sit capax præcepti : Hinc excommunicari non possunt qui baptizati non sint, aut ex baptizatis qui nondum sint rationis compotes , aut qui deliquerint extra territorium Episcopi excommunicantis , ex c. 2. de constit. in 6. Superiores tamen Religiosorum ubilibet possunt suos subditos excommunicare , quia eorum jurisdictione non derivatur ex territorio in personas , sed spectat immediatè ipsas personas , ut notat Castrop. de cens. disp. 2. punto 3. num. 3. Item Communitas seu Universitas qua talis excommunicari non potest , ne scilicet contingat aliquem innocentem in eadem communitate excommunicatione ligari , ut expressè decernitur in c. Romana 5. de sent. excomm. in 6. quamvis ceteroquin alius obtineat in suspensione & interdicto , de quibus infra.

18. Excommunicatio semel incursa non aliter tollitur quam per absolutionem , pro qua non est in jure ulla forma præscripta , nisi tamen danda sit absolutio judicialis , pro qua servandus est ritus staturus in cap. Anobis 28. de sent. excom. Ut autem absolutio validè præstetur , requiritur in absolvente potestas , quæ relate ad censuras ab homine specialiter latae re-

perit in eo ipso qui tulit , nisi ei fuerit prohibatum , item in ejus successore , superiore pleno jure , ejusve delegato , ut colligitur ex c. Pastoralia II. §. Præterea de off. Jud. Ordin. favetque c. i. de reg. jur. & l. Nihil tam naturale 35. ff. eod. Dixi nisi ei fuerit prohibatum : quia in Jure Canonico plures sunt casus , in quibus Authori censuræ non permittitur absolutio , ut videre est in c. Grave 29. de præb. cap. Tu a nos 19. de sent. excomm. aliisque juribus relatis à Castrop. disp. i. de cens. puncto II. §. 4. n. 4.

19. Quod autem attinet ad censuras à jure latas , distinguendum est : vel enim sunt censuræ reservatæ ipsi Authori , vel non sunt reservatæ primi generis censuræ absolvī non possunt nisi ab eo cui reservatæ sunt , vel ab ejus successore , aut superiore pleno jure , ejusve delegato . alterius generis censuras relaxare potest relate ad suos subditos qui jurisdictionem Ecclesiasticam habet in foro externo , ut colligitur ex c. Nuper 29. de sent. excomm. ubi dicitur quod cum conditor Canonis absolutionem sibi specialiter non retinuit , eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi .

20. In mortis tamen articulo omnes Sacerdotes ( ne aliquis pereat ) , quoslibet poenitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt , ut expressè conceditur à Trid. sess. 14. c. 7. sumiturque etiam ex c. Eos qui 22. de sent.



excomm. in 6. ubi etiam decernitur ut si postea periculum cessaverit, teneatur absolutus se præsentare ei à quo de jure fuerat absolvendus, recepturus humiliter mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicatus fuerat, & satisfactus pro ut justitia suadebit: alioquin in eandem sententiam ipso jure recideret..

21. Absolatio ab excommunicatione dari potest non solum viventibus, sed etiam mortuis, ex c. Anobis 28. de sent. excomm. Excommunicatus enim quamvis signa pœnitentia ante mortem dederit, & ab omnibus peccatis à Deo absolutus decesserit, si tamen absoluti nem ab excommunicatione ante mortem non receperit; adhuc censetur censura ligatus in ordine ad privationem suffragiorum Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ sepulturæ: potest tamen in eo casu & debet ab Ecclesia absolvi juxta modum & ritum in eod.c. Anobis præscriptum.

22. Demum pro recta intelligentia Sacrorum Canonum, notandum est ex c. penult. de sent. excomm: nomen excommunicationis absolute & sine addito prolatum, semper intelligi debere de excommunicatione majori, quod est jus speciale in re præsenti, quia cæteroquin in aliis materiis pœnalibus verba dubia solent plerumque intelligi de poena minori, juxta cap. In pœni. 49. de reg. jur. in 6. Et l. Interpretatione 24. ff. de pœniis.

## T I T. XVI.

## De Suspensione.

1. **A**lia censuræ Ecclesiasticæ species est suspensio , censura videlicet qua Minister Ecclesiæ ob culpam exercere prohibetur functiones Ecclesiasticas , aut aliqua Ecclesiastica potestare uti. Inde fit laicum non esse capacem suspensionis Ecclesiasticæ sed solum Clericum , quacumque dignitate præfulgeat , etiam Episcopali , quamvis cæteroquin jure cautum sit in *cap. Quia periculosem 4. de sent. excom. in 6.* ut sub generali sententia suspensionis , sicut & interdicti , latæ à Jure , non intelligantur compræhensi Episcopi & eorum Superioris , nisi specialiter exprimantur , quod ipsorum privilegium non extendi ad excommunicationem , docet ibid. *Glos. vers. suspensionis.* Inde etiam fit suspensionem ferri posse non tantum in particulares personas , sed etiam in Communilitatem , puta in totum Capitulum , interdicendo illi usum alicujus Ecclesiasticæ potestatis , cuius cæteroquin munere fungi possit , ut constat ex *cap. un. Ne sede vacante in 6. ex Trid. sess. 24. de refor. cap. 16.*

2. Triplex est suspensionis species; alia à beneficio ; alia ab officio , quæ rursus subdividi-  
tur

tur in suspensionem ab officio Ordinis , quæ impedit ordinis exercitium, & in suspensionem ab officio jurisdictionis , quæ prohibet jurisdictionis administrationem , alia ab officio simul & beneficio. Omnes istæ suspensionum species possunt esse vel totales vel partiales, prout privant vel in totum vel solum partialiter administratione officii aut beneficij , aut utriusque. Notant tamen Authores quod si suspensio absolute feratur , intelligi debeat de suspensione ab officio & beneficio simul , quia in tali casu non est unde generale nomen suspensionis limitari potius debeat ad unam suspensionis speciem, quam ad aliam.

3. Suspensio ferri potest vel perpetua hoc est absque temporis determinatione , vel temporalis hoc est pro certa dumtaxat temporis duratione , in quo tamen casu suspensio potius habet rationem cuiusdam pœnæ , quam censuræ medicinalis. Item ferri potest vel ab homine seu per sententiam hominis , vel à Jure seu per ipsum statutum legis.

4. Suspensionem à Jure ferre potest solus ille , qui potest legem ferre : suspensionem autem ab homine regulariter ferre non potest, nisi qui potest excommunicare, unde sicut ad ferendam excommunicationem , ita & ad ferendam suspensionem requiritur Ecclesiastica jurisdictione expedita in foro externo in eos qui suspendendi sunt.

5. For-

5. Forma ferendæ suspensionis non est in iure præscripta, sed sufficit ut verbis exprimatur ad eam declarandam accommodatis. Debet tamen in scriptis ferri expressa causa seu peccato propter quod fertur, & præcedente monitione, reliquisque servatis, quæ notavimus in tit. præced. n. 15.

6. Effectus suspensionis, præter supradicta impedimenta ab administratione Ordinis aut beneficii, est etiam irregularitas, quæ incurrit a suspensiō, si solemniter exerceat actum aliquem proprium Ordinis a quo suspensus est, de quo tamen vide quæ diximus in tit. 12. n. 4.

7. Suspensiō semel incursa, si lata fuit solum ad certum tempus, elapso eo tempore cessat absque alia absolutione, ut post *Gloss. in Clem. de decimis v. donec & in c. Sacra de sent. excomm. v. per mensēm, aliosque Doctores, tradit Suar. de cens. disp. 25. sect. 1. num. 3.* At si lata fuit indeterminate quoad tempus & per modum pœnæ medicinalis, nonnisi per absolutionem tollitur, ut significat prior *Glos. citata, quæ absolutio, relate ad suspensionem ab homine specialiter latam, dari potest regulariter ab eo qui suspensionem tulit, aut ejus successore in dignitate, nisi eis fuerit prohibitum;* relate autem ad suspensiones per modum pœnæ medicinalis a Jure generaliter latas, absolutio dari potest ab Episcopo, dummodo suspensus a contuma-

cia

nia recesserit , & Summus Pontifex absolutio-  
nem sibi non reservaverit, ut desumitur ex capo  
Nuper 29. de sent. excomm. ubi dicitur quod cum  
conditor Canonis absolutionem sibi non reser-  
vat , concedere videtur facultatem aliis rela-  
xandi.

8. Quod si suspensio lata sit à Jure per mo-  
dum puræ pœnæ absque ulla temporis deter-  
minatione , utrum in eo casu possit Episcopus  
illam absolvere , est quæstio à Canonistis agi-  
tata, & varie à variis resoluta , ut videri potest  
apud Castrop. de Cens. disp. 4. punto 9. n. 5. &  
aliosque ab ipso relatós.

9. Quod autem attinet ad suspensionē latam  
expressè in perpetuum & absque spe restitutio-  
nis, quæ proprio nomine dicitur depositio, di-  
cetur infra in speciali tit. de depositione & degra-  
datione.

## T I T. XVII.

### De Ecclesiastico Interdicto.

1. Tertia Ecclesiasticæ censuræ species est In-  
terdictum, quo nomine venit Ecclesiasti-  
ca illa censura , per quam prohibetur participa-  
tio cœtorum Sacramentorum , nec non officio-  
rum Divinorum & Ecclesiasticæ sepulturæ ,  
quatenus ea sunt bona quedam spiritualia à fi-  
deli-

delibus participanda , quæ interdicti explicatio  
desumitur ex cap. Quod in te n. de pœnitentiis &  
remissionib. & ex c. Non est vobis n. de sponsalib.  
Ubi notandum quod sub diverso respectu po-  
test quis per diversas censuras eodem bonorum  
genere privari : interdictum enim privat præ-  
dictis rebus Sacris , quatenus Sacrae sunt & à fi-  
delibus participabiles : excommunicatio iis-  
dem privat, quatenus includunt aliquam com-  
municationem cum aliis fidelibus : suspensio  
demum , quatenus sunt actus potestatis aut mi-  
nisterii Ecclesiastici. Unde ulterius infertur,  
quod quamvis suspensio ferri possit solum in  
Clericos ; at interdictum esse potest commune  
**Clericis & laicis** ; sicut & excommunicatio.

2. Interdictum aliud est locale , aliud perso-  
nale , aliud mixtum. Interdictum locale est,  
quo interdicitur locus , seu quod immediatè  
terminatur ad locum. Personale est quo inter-  
dicitur aliqua persona vel communitas perso-  
narum , seu quod immediatè terminatur ad  
personam aliquam vel communitatem perso-  
narum. Mixtum denique est quo immediatè in-  
terdicuntur locus & personæ.

3. Inter interdictum purè locale & inter in-  
terdictum personale , illud inter reliqua discri-  
men est , quod interdictum personale , utpote  
immediatè afficiens personas , sequitur per-  
sonas ipsas , quæ propterea quocumque se confe-  
rant,



rant, sunt ubilibet interdictæ. At interdictum purè locale, cum immediatè solum locum afficiat, & nonnisi ex loco redundet in personas, non afficit personas nisi pro ut existentes in loco interdicto, unde extra locum interdictum non prohibentur interesse Divinis: exceptis tamen iis personis, quæ causam dederunt illi interdicto locali, quia ejusmodi personæ specialiter puniuntur etiam interdicto personali, unde nec in loco interdicto nec alibi possunt interesse Divinis, ut deciditur in c. *Si sententia 16. de sent. ex comm. in 6.*

4. Rursus interdictum aliud est generale, aliud speciale, quæ divisio locum habet tum in interdicto locali, tum in interdicto personali, sumiturque ex c. *Cum in partibus 17. de verb. significat.* Interdictum generale est, quod fertur in regnum, civitatem, populum, seu communiam: speciale seu particulare est, quo specialis locus, puta hæc vel illa Ecclesia, aut aliqua determinata persona interdicitur. Demum omissis aliis divisionibus facilioribus, dividitur interdictum, sicut etiam suspensio & excommunicatione, in id quod est à Jure, & in id quod est ab homine, quæ divisio satis patet ex supradict.

5. Interdictum ferri potest ab eo, à quo ferri potest excommunicatio atque suspensio, regulariter loquendo. Requiritur autem pro eo ferendo gravis causa seu grave delictum, & si ferri

debeat ob contumaciam & per modum penitentia medicinalis requiritur ut scripto feratur, & cum iis conditionibus quas indicavimus in tit. 15. *onus libri n. 15. ex c. 1. de sent. excom. in 6.*

6. Pro interdicto locali, regula est, illud esse amplius interpretationis, tum quoad extensionem locorum, tum etiam quoad extensionem personarum in loco interdicto commorantium. Sub interdicto igitur generali locali cui v. g. civitas supponatur, non tantum comprehenditur locus intra muros civitatis conclusus sed etiam ejus suburbia & aedificia continentia, quemadmodum & interdicta Ecclesia, censentur etiam interdictae ejus Cappellæ, & Cœmeterium contiguum, ut expresse statuitur in c. *si civitas 17. de sent. excomm. in 6.* quia videlicet alioquin interdictum redderetur frustraneum. Item prædictum interdictum vim quoque habet in locis, quæ cæteroquin excepta sint à jurisdictione interdicentis, puta si intra civitatem interdictam aut in ejus suburbis sit aliqua Ecclesia Regularium aut aliorum, supra quos Episcopus jurisdictionem non habeat, adhuc tamen interdictum ad eandem Ecclesiam extenditur ut definitum etiam est à Trid. *sess 25. de Regularib. & Monialib. c. 12.*

7. Fit etiam ampla interpretatio quoad extensionem personarum, unde interdictum locale servare tenentur omnes tam sacerdtales,

quam

quam Regulares, etiam excepti tam exteri, quam  
incolae: quia ejusmodi interdictum non tam est  
prohibitio personis facta, quam quedam inha-  
bilitas atque privatio Divinorum cui locus sub-  
jectus est. Idque adeo procedit, ut plures apud  
Castrop. de Cens. disp. 5. punto 2.n.7. tradiderint,  
etiam illum, qui interdictum tulit, teneri ad il-  
lud servandum.

8. Idem fere procedit in interdicto persona-  
li, quod si generale ferri contingat, ample est  
interpretandum, & extendendum ad omnes  
personas, quae sint pars illius communitatis  
seu universitatis, quae interdicto Ecclesiastico  
supposita est, etiamsi sint personae innocentes,  
& etiamsi incorporentur eidem communitatibus  
post latam sententiam interdicti: à qua tamen  
generalis regula eximendi sunt Episcopi, qui sub  
generalis sententia interdicti personalis non in-  
cluduntur, nisi de ipsis fiat expressa mentio; ut  
supra diximus in tit. 16. de suspensione n.1. ex cap.  
Quia periculosem & de sent. ex comm. in 6.

9. Ejusmodi personarum extensio locum ha-  
bet, quando cæteroquin propria verborum si-  
gnificatio illam admittit: secus est si persona ali-  
qua propriè non comprehendatur sub ea ex-  
pressione nominis quo communitas interdic-  
tur. Hinc si interdicatur Clerus, non intelligi-  
tur (nisi aliud sit expressum) interdictus popu-  
lus: nec etiam econverso, juxta textum in c. Si  
sen-

*Sententia 16. eod. in 6. quia nomine populi intel-*  
*liguntur tantum sacerdotes, seu laici.*

10. Effectus interdicti plures à Doctoribus numerantur. Primus est privatio activa & passiva Sacramentorum, exceptis tantum iis quæ expressè per Sacros Canones excipiuntur. Sub hoc excepto genere recenseri potest Sacramentum Baptismi & Sacramentum Confirmationis: utrumque enim conferri licet posse tempore interdicti tam adultis quam parvulis deciditur in cap. *Quoniam 19. de sent. excomm. in 6.* dummodo tamen, extra casum necessitatis, non conferatur à persona specialiter interdicta sive per proprium particulare interdictum sive per generale, cui dedit causam.

11. Sacramentum etiam Pœnitentiæ quo tempore interdicti localis olim poterat tantum ministrari morientibus & peregrinis, cap. *Quod in te 11. de pœnit. & remiss. de jure recentiori statuto in cap. Alma mater ult. de sent. excomm. in 6.* potest omnibus tam sanis quam infirmis ministrari, dummodo excommunicati non sint, aut culpabilem causam interdicto non dederrint; in quo casu antequam ad Pœnitentiam admittantur, debent prius (si id facere valent) satisfacere, vel de satisfaciendo idoneam dare cautionem &c. juxta modum statutum in eod. c. *Alma mater.*

12. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum tem-



tempore generalis interdicti ministrari potest tantum iis qui sunt in gravi mortis periculo , ex cap. Permittimus 57. de sent. excomm. qui tamen, si sunt specialiter interdicti , debent prius condignam satisfactionem exhibere , aut de satisfaciendo cautionem præstare , vel si neutrum possint , debent jurare se cum primum possint satisfacturos : & ad satisfactionē hujusmodi per ipsos , vel per eos , qui facere ipsam debent & possunt præstandam , daturos consilium & auxilium , ac juxta posse suum fideliter laborato-  
ros, ut colligitur ex cit. c. Alma.

13: Quod attinet ad celebrationem Missarum , olim in interdicto locali concedebatur celebratio Missæ semel tantum in hebdomada ad conficiendam Sacram Eucharistiam pro infirmis , Campanis tamen non pulsatis , voce submissa , januis clausis , excommunicatis & interdictis exclusis , cit. c. Permittimus . postea extensa fuit illa concessio in cit. c. Alma mater , ubi conceditur facultas singulis diebus Missas celebrandi in Ecclesiis & Monasteriis , servando tamen easdem conditiones , nempe Campanis non pulsatis &c. Hæc tamen extensio concessionis intelligenda est pro interdicto locali generali , non autem de interdicto locali speciali : ut docet Glos. in eod. c. Alma v. Ecclesias : quare in interdicto locali speciali servandum est jus antiquum.

14. Præ-

14. Prædictæ conditiones , cum quibus celebri potest Missa tempore interdicti , suspenduntur in quatuor solemnitatibus , nempe Natalis Domini , Paschæ , Pentecostes , & Assumptionis B. V. in quibus diebus conceditur ut pulsentur campanæ , & januis apertis alta voce Divina Officia solemniter celebrentur , excommunicatis exclusis , sed interdictis admissis : sic tamen quod illi , propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum , Altari nullatenus appropinquent , ex eod. cap. Alma Mater . Quibus diebus additum postea fuit etiam festum Sanctissimi Corporis Domini cum sua octava à Martino V. in Constat. 12. quæ incipit Ineffabile Sacramentum .

15. Sacramentum extremæ Unctionis conferri non potest tempore interdicti ex textu cap. Quod in te 11. de pænit. & remissionib. Item neque Sacramentum Ordinis , propter generalem regulam supra indicatam , quod omnium Sacramentorum collatio & perceptio tempore interdicti sit prohibita , exceptis tantum iis quæ expressè per Sacros Canones excipiuntur : nullibi autem in Jure Canonicō invenitur Sacramentum Ordinis exceptum .

16. De Sacramento Matrimonii utrum in loco interdicto , vel à personis generaliter interdictis administrari aut recipi possit , controvèrtitur inter Doctores . Negat. Suar. de cens. disp.

disp. 33. sect. I. n. 50. & seqq. Affirmat Panorm. in cap. Non est II. de Sponsal. n. 8. Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 8. num. 2. aliqui ab ipso citati, qui videri possunt. Specialiter tamen interdicti removentur speciali titulo à matrimonio contrahendo si contumaces existant, quia tunc ponunt obicem gratiæ per Sacramentum recipiendæ.

17. Alter effectus interdicti est privatio Divinorum Officiorum, quorum nomine comprehenditur tum Missæ celebratio, de qua paulo ante dictum est; tum etiam publicæ Orationes ab Ecclesia factæ, exercitium & actus pendentes ab Ordine Sacro, aliaque similia. Eiusmodi Divina Officia quatenus liceant tempore interdicti localis generalis, januis clausis &c. videri potest in cit. c. Alma Mater.

18. Tertius effectus interdicti est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ quamdiu durat tempus interdicti, cit. c. Quod in te II. de pœnit. & remission. exceptis tamen iis Clericis qui specialiter interdicti non sint, & generale interdictum locale servaverint: iis enim conceditur ut cum silentio sepeliri possint in Coemeterio Ecclesiæ sine campanarum pulsatione & cessantibus omnibus solemnitatibus cum silentio.

19. Circa pœnas violentium interdictum, statutum est, ut si Clerici actus proprios sibi Ordinis, à cuius exercitio interdicti sunt, exer-

B b

ceant,



ceant, irregularitatem ipso facto incurvant, de quo vide quæ diximus in tit. 12. *bujus libri num. 4.* Præterea violantes interdictum locale redduntur inhabiles ad electionem tam activam, quam passivam, *cap. Is qui 18. §. Is vero de sent. excomm. in 6. & c. 1. de postulat. Prælat.* Rursus Regulares etiam exempti non servantes interdictum, quod ab Ecclesia Cathedrali seu Parochiali loci in quo sunt, servari vident, ant sciunt, ipso facto in sententiam excommunicationis incurront, ex *Clem. 1. de sent. excomm.* Demum ex *Clem. 1. de Sepultur.* etiam excommunicationem incurront violantes interdictum, (quamvis cæteroquin exempti sint), quoad Ecclesiasticam Sepulturam, sepeliendo in casibus non missis aliquem interdictum, vel in loco interdicto, ac præterea ex *c. Episcoporum 8. de privileg. in 6.* suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, donec competenter satisfecerint ad arbitrium ejus cuius sententiam contempserunt.

20. Quod attinet ad laicos interdictum violantes, statutum est in *Clem. Gravis 2. de sentent. excomm.* ut si Dominus alicujus loci interdicto suppositi compellat Clericum in loco interdicto celebrare Divina, vel pulsu campanæ, aut voce præconis evocari faciat ad Divina populos interdictos, aut impedit ne de Ecclesiis egressiantur excommunicati, aut interdicti, exi-



e jussi ab iis ad quos pertinet : si excommunicatus excommunicatione reservata Summo Pontifici , quam etiam excommunicationem incurront ipsi excommunicati , aut interdicti , qui in ipsis Ecclesiis nominatim à celebrantibus , ut exeant , moniti remanere præsumperint. Aliæ diversorum generum violationes interdicti , quæ committantur à laicis , puniendæ sunt Judicis arbitrio , spectata ministris qualitate.

21. Interdictum latum & incursum pluribus modis cessare potest. Primò enim si positum fuit pro limitato tempore , aut sub certa conditione , eo tempore elapsò & conditione apposita cessat , ut docet Gloss. in cap. Non est voluntas n. de Sponsalib. v. donec , & ibi Panor. nu. 7. Ut autem cesseret antequam tempus illud elapsum sit , aut apposita sit conditio , opus est absolutione seu dispensatione , quæ dari non potest , nisi ab eo qui interdictum tulit , aut ejus Superiore pleno jure.

22. Quod si interdictum latum sit absque ulla determinatione temporis & absque ulla conditions , ut communiter ferri solet , quando imponitur ad contumaciam coercendam ; tunc recedente etiam contumacia & satisfactione præstata , non propterea cessat interdictum , sed opus est absolutione , ut colligitur ex cap. Quamquam 4. de censib. in 6. ubi latis cen-



suris excommunicationis & interdicti contra exigentes tributa ab Ecclesiasticis personis, præcipit Summus Pontifex ne ab excommunicatione hujusmodi absolutionem, vel ab interdicto relaxationem obtineant, donec exacta plené restituerint, & de transgressione satisficerint competenter. Supponit ergo Pontifex, impositum interdictum ad frangendam contumaciam, absolutione indigere ad hoc ut cesseat, quamvis contumacia jam cessaverit.

23. Absolutio ab interdicto locali non reservato, dari non potest nisi ab eo qui in illum locum jurisdictionem habeat Episcopalem: requiritur enim ad talem actum absolutionis Ecclesiastica jurisdictione fori contentiosi, quæ cum Episcopali potestate conjungitur, ut docet Suar. *de cens. disp. 38. sect. 2. n. 5.* Absolutio etiam ab interdicto generali personali propter eandem rationem haberi non potest tum quo ad totam communitatem interdictam, tum quoad particulares ejus personas, nisi ab eo, qui in eandem communitatem illa jurisdictione fungatur. Demum interdictum personale speciale, si non sit reservatum, absolvī posse non solum ab Episcopo, sed etiam ab inferioribus Confessariis, supposito quod habeant privilegium absolvendi à censuris, docent plures, quos citat Castrop. *de cens. disp. 5. puncto 7. §. 2. n. 7.* plures

contra  
nures etiam negant, quos habes ibid. ab eodem  
præ-  
dicto.  
nre-  
com-  
positum  
m, ab-  
amvis  
a reser-  
cum lo-  
: re-  
nis E-  
æ cum  
doce-  
tio et-  
ropet  
i quo-  
, tum  
eo, qui  
etione  
le spe-  
Te non  
ribus  
rivile-  
s, quos  
. n. 7.  
plures

## T I T. XVII.

### De Depositione, & Degradatione.

Spirituales pœnæ , de quibus hactenus in præcedentibus titulis dictum est, sunt plenique pœnæ medicinales, utpote imponi solitæ ad contumaciam concernendam , unde de natura sua non sunt perpetuæ, sed tunc demum per absolutionem cessant, quando Reus satisfactione præstata resipuerit. Præter ejusmodi pœnas, aliud quoque penes potestatem Ecclesiasticam est spiritualis pœnæ genus, quod in perpetuum imponitur absque spe remissionis , ac propterea non includitur sub ratione censuræ , sub quo genere continetur depositio ac degradatio , de quibus in hoc titulo agendum est, ut spectantia ad pœnas Ecclesiasticas absolvamus.

2. Depositio igitur pœnalis , ut hic accipiatur , est de dignitate vel beneficio , aut etiam ab usu Ordinis perpetua deturbatio seu privatio , respectivè pro ut est vel depositio à beneficio , vel ab Ordine , vel ab utroque , ut communiter esse solet quando à Jure fertur sententia depositionis, ut notavit Conink. tom. 2. disp. 16. n. 5.

Bb 3

3. Di-

3. Dixi ab usū Ordinis : neque enim privat Ordine ipso, qui per indelebilem characterē est impressus in anima, ut est concors Theologorū sententia in 4. dist. 25. teste Suar. de cens. disp. 30. sect. 1. num. 7. Inde sit Clericū ita depositum non propterea esse eo ipso privatum privilegio Clericali , ut etiam sumitur ex cap. Cum non ab homine 10. de judiciis , ubi Clericus criminōsus prius deponendus dicitur ; postea , si incorrigibilis fuerit , excommunicandus , deinde contumacia crescente , anathematizandus ; postremo , si in profundum malorum veniens contempserit , cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat , tradendus potestati faculari : quod statutum satis indicat , Clericum per solam depositionem non amisisse privilegium Clericale. Quod tamen intellige , nisi in ipsa sententia depositionis expressè adjuncta fuerit in specialem pœnam privatio ejusdem privilegii , ut notavit etiam Abb. in c. At si Clerici 4. de adulteriis n. 2.

4. Hæc specialis pœna privationis privilegii adjungi solet cum infligitur pœna degradacionis , per quam Clericus , quatenus fieri potest , extra gradum , & statum Clericorum ejicitur , dum non solum deponitur ab omni usu Ordinis & beneficio , sed etiam Clericibus privilegiis per solemnam sententiam sine spe restitutionis exuitur.

5. Est autem degradatio duplex , ut sumitur

ex

ex cap. 2. de pœnis in 6. Una verbalis , quæ est ipsa sententia Judicis lata contra Clericum, e-  
iusque puniens prædicta depositione & privi-  
legiorum ammissione , quæ sententia præmitti  
solet antequam Clericus actualiter spoliatur  
Ecclesiasticis insignibus & indumentis cum cæ-  
remonia solemni , Curiæque sacerdotali tradi-  
tur ; unce etiam appellatur depositio verba-  
lis respectiva , quia videlicet est ordinata ad  
Clericam ita actualiter spoliandum. Alia est  
degradatio actualis , sive realis , aut solemnis , ut  
appellatur à Triden. sess. 13. de reform. cap. 4.  
eoque nomine intelligitur degradationis ver-  
balis executio solemniter facta , prædicta vide-  
licet spoliatio Ecclesiasticorum insignium , &  
indumentorum cum cæremonia solemni , Cu-  
riæque sacerdotali traditio.

6. Quæ solemnitas servanda sit pro utraque  
specie degradationis describitur in cit. cap. 2. de  
pœnis in 6. , ex quo requiritur pro degradatio-  
ne verbali , ut proprius Episcopus assistentibus  
sibi aliis sex Episcopis si degradandus sit Pres-  
byter ; tribus autem , si degradandus sit Diaco-  
nus aut Subdiaconus cap. Si autem 5. 15. quæst. 7.  
sententiam in Reum pronunciet : quæ aliorum  
Episcoporum assistentia non requiritur si  
degradandus sit Clericus in minoribus dum  
taxat constitutus , sed requiritur & sufficit cum  
Episcopo præsentia Capituli , ut docet Glos. re-

cepta in cit. c. 2. v. præsentia. Adde ex Trid. in ejus  
cap. 4. illum eundem numerum sive sex sive  
trium Episcoporum affilientium suppleri pos-  
se per totidem infulatos Abbates, si in civitate  
aut diœcesi reperiri & commode interesse pos-  
sint; alioquin per alias personas in Ecclesiasti-  
ca dignitate constitutas, quæ ætate graves, ac  
Juris scientia commendabiles existant.

7. Facta degradatione verbali, accedit Epi-  
scopus ad degradationem actualem etiam sine  
aliis Episcopis, aut Prælatis, ut colligitur ex  
cit. cap. 2. & sub ea forma, quæ ibidem fusè de-  
scribitur, Clericalibus vestibus, & ornamen-  
tis, quasi militiæ spiritualis insignibus Reum  
spoliat coram Judice sæculari, cui potestea cum  
tradit ut in suum forum jurisdictionemque re-  
cipiat, cum intercessione tamen serio facta, ut  
citra mortis periculum sententiam contra eum  
moderari velit, ut habetur in c. Novimus 27. de  
verb. signif.

8. Hæc actualis degradatio est actus ex Ec-  
clesiæ institutione annexus Ordini Episcopali,  
unde nonnisi per Episcopum consecratum exer-  
ceri potest, ut sumitur ex Glos. recepta in cap.  
Transmissam 15. de eleçt. v. de talibus, & traditio-  
nem Abb. in c. Non potest 3. de sent. & re jud. n.  
3. Suar. de cens. disp. 30. seçt. 1. n. 18. aliquique com-  
muniter. Secus procedit in degradatione

ver-



verbali, quæ solum est actus jurisdictionis, unde ab Episcopo committi potest facienda per suum Generalem Vicarium in spiritualibus, ut constat ex Trid. sess. 13. de refor. c. 4.

9. Quod attinet ad crimina, quibus per Sacros Canones poena depositionis infligitur, constat ex præcedentibus titulis de variis criminum speciebus, ac videri ulterius potest apud Barb. de off. Episc. alleg. 110. n. 20. aliosque ab ipso citatos. Crimina autem propter quæ Clericus etiam actualiter degradatur, Curiæque seculari traditur, tria sunt in Jure antiquiori specialiter expressa, ut tradit Gloss. in c. Ad abolendam 9. de hæret. v. relinquatur. Primum est crimen hæresis, ut in eod. cap. Ad abolendam & cap. Excommunicamus 13. §. Damnati, eod. quod maximè procedit in hæretico relapso & incorrigibili. Alterum est crimen falsi, id est falsificandi litteras Apostolicas, de quo in cap. Ad falsariorum 7. de crimine falsi. nisi Summus Pontifex ex gratia poenam illam moderetur, ut in c. Novimus 27. §. ult. de verb. signif. Tertium est, calumnia & contumelia gravis proprio Episcopo illata, cap. Si quis Sacerdotum 17. 11. q. 1. Quod tamen Doctores moderantur, ut intelligatur, si ille incorrigibilis fit, teste Suar. in cit. disp. 30. sect. 2. n. 4., quod etiam docet Glos. in c. Cum non ab homine 10. de Judicis v. postmedium, & Panor. in c. At si Clerici 4. eod. n. 37.

Bb 5

10. His

10. His particularibus criminum speciebus addi quoque potest sodomia frequentata ut notat Laym. Theol. mor. lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 5. ex Const. 72. B. Pii V. quæ incipit : Horrendum illud. Crimen Missam celebrandi , aut Confessiones audiendi in eo qui non est Sacerdos, ex Const. 81. Clem. VII. Et se alias. Sollicitatio mulierum in Confessione , si delicti qualitas postulet , ex const. 34. Greg. XV. Universi. Demum generaliter omne crimen enorme , quod sit dignum pœna mortis in laico , ubi per Ecclesiasticas pœnas corrigi non possit , satis esse ut Clericus propter illud sæculari potestati tradatur , ut colligitur ex cit. cap. Cum non ab homine 10. de judic. & notat Panor. in cit. cap. At si Clerici 4. eod. n. 39. & seqq. Laym. in cit. c. 5. n. 6. aliqui apud ipsum.

T I T. XIX.<sup>¶</sup>

## De Irregularitate.

1. Absolutis iis , quæ pertinent ad Censuras , aliasque Ecclesiasticas pœnas , reliquum est ut de irregularitate breviter videamus , quæ quamvis pœna aut censura non sit , attamen in pluribus censuras imitatur.

2. Est itaque irregularitas impedimentum Canonicum primo & per se impediens Ecclesiast.

siastici Ordinis susceptionem & usum ; secundario autem & consequenter assequutionem beneficii , quia cum beneficium detur propter officium ex cap. fin. de rescr. in 6. ex quo quis est inhabilis ad officium seu ministerium Ecclesiasticum , inhabilis quoque censendus est ad beneficium.

3. Alia totalis est , alia partialis. Irregularitas totalis est quæ inhabilem reddit ad omnem Ordinem suscipiendum , & ad cuiuslibet suscepti Ordinis exercitium , eaque est quæ solet intelligi nomine irregularitatis simpliciter dictæ. Partialis autem dicitur quæ privat solum ascensu ad Superiorem Ordinem , aut non omni Ordinis ministerio , sed aliquo tantum , qualis frequenter est , quæ provenit Clerico jam ordinato propter aliquem supervenientem defectum seu deformitatem , quæ inhabilem dumtaxat reddit respectu illius ministerii , quod ob talem defectum exerceri ritè nequit , juxta regulam traditam ab Abb. in c. 1. de Cler. agrot. n. 2. & seqq. ut puta si Sacerdoti pollex , vel medietas palmæ cum duobus digitis abscindatur , in quo casu inhabilis fit ad sacrificandum , non item ad alia Sacerdotis officia , ex eod. cap. 2. de Cler. agrot. aut si Diacono oculus eruatur , in quo casu inhabilis fit ad Sacerdotium , quamvis in suo Ordine ministrare non prohibetur , ut sumitur ex c. fin. dist. 55.

Bb 6

4. Sez.

4. Secundò alia est irregularitas perpetua, alia temporalis. Perpetua est quæ per solam dispensationem tollitur: temporalis, quæ lapsu temporis cessat, qualis est irregularitas proveniens ex defectu ætatis, quæ adveniente ætate legitima cessat.

5. Tertiò demum alia est irregularitas proveniens ex delicto: alia quæ provenit ex alio defectu citra delictum. Neutra ex his irregularitatibus propriè pœna est, nam etiam ea, quæ ex delicto provenit, non est propriè instituta ad puniendum delictum, sed ob honorem Ecclesiastici status, qui in Ministris suis certas qualitates exigit cum quibusdam delictis non compatibiles. Quælibet autem istarum irregularitatum, plures alias sub se continet, ut ex dictis patebit.

6. Irregularitas numquam fertur per sententiam ab homine, sed dumtaxat per statutum Juri, & nonnisi pro casibus expressis in Jure, ut colligitur ex c. Is qui 18. de sent. excom. in 6. ubi declaratur quod celebrans in Ecclesia polluta, quamvis temerariè agat, irregularitatis tamen laqueū non incurrit, quia id non est expressum in Jure. Inde conficitur, à nemine infra Summum Pontificem, cuius est condere generale Jus, irregularitatem induci posse, ut probat Suar. de cens. disp. 40. sect. 4. n. 11.

7. Subjectum capax irregularitatis est qui-

cum-



cumque per se & juxta Christi Domini institutionem est capax Sacramenti Ordinis, excepto Summo Pontifice qui suis legibus non obligatur quoad vim coactivam ad quam pertinet irregularitas: quicumque enim est capax susceptionis Ordinis, potest eadem privari (quod per irregularitatem fit), juxta illud commune proloquium, privatio & habitus circa idem versantur. Hinc sequitur foeminae five ratione sexus, five ratione cuiuscumque supervenientis defectus aut criminis, dici non posse irregularem, quia ex institutione Divina non est capax Sacramenti Ordinis. Ex eadem quoque ratione homo non baptizatus est incapax irregularitatis, cum sit incapax Ordinis ex institutione Divina, c. 1. & c. Veniens 3. de Presbyt. non baptiz. Utrum autem & quomodo possit quis post susceptum baptismum censeri irregularis propter culpam aut defectum contractum ante baptismum, indicabitur infra.

8. Quæ autem spectant ad particulares causas, propter quas irregularitas de Jure Canonico contrahitur, ad quinque potissimum capita reduci possunt, unde totidem resultant species particularium irregularitatum, nempe primò ut alia sit irregularitas ex defectu Sacramenti, alia ex defectu animæ, alia ex defectu corporis, alia ex defectu lenitatis, alia ex delito.

9. Irregularitas ex defectu Sacramenti illa dicitur quæ provenit ex bigamia , quæ est matrimonii duplicatio , diciturque defectus Sacramenti , quia cum Sacramentum Matrimonii institutum sit ad repræsentandam unionem Christi Domini cum Ecclesia per Incarnationis mysterium , quæ unio fuit Unius cum Una , eaque Virgine seu ab alio non assumpta ; bigamia deficit in hac repræsentatione , cum sit vel conjunctio unius cum pluribus , vel conjunctio cum assumpta ab alio , ut explicatur in c. Debitum 5. de bigam.

10. Hoc genus irregularitatis , præsertim resultans ex bigamia propriè dicta , ex Apostolica traditione manavit , ut sumitur ex 1. ad Timoth. 3. ibi : Oportet Episcopum esse unius uxoris virum. Et infra : Diaconi sint unius uxoris viri , quibus verbis vetat Apostolus ne is , qui plusquam unam uxorem habuit , ad Sacros Ordines promoveatur , ut universa intellexit Ecclesia , & expresse declaratur in cap. 2. & 3. de bigam.

11. Dixi præsertim resultans ex bigamia proprie dicta . Triplex enim communiter à Doctoribus affiguntur bigamiaæ species. Prima est propria , alia interpretativa , alia similitudinaria. Bigamia propria est si vir cum duabus legitimiis uxoribus matrimonium consummavit. Quod si cum duabus matrimonij contraxit , sed

sed vel cum neutra consummavit , vel tan-  
tum cum una ; in eo casu non efficitur biga-  
mus & irregularis , propter rationem assigna-  
tam ab Innocentio III. in cap. Debitum 5. de bi-  
gam. quia conjugium , quod non est commix-  
tione corporum consummatum , non pertinet  
ad illud conjugium designandum , quod inter  
Christum & Ecclesiam per Incarnationis my-  
sterium est contractum.

12. Bigamia interpretativa est quæ contra-  
hitur ex unico matrimonio, quod tamen secun-  
dum quandam Juris interpretationem duplex  
matrimonium includit , & prædictum defe-  
ctum Sacramenti , ac propterea ex statuto  
Sacerorum Canonum irregularitatem indu-  
cit. Eiusmodi est cum quis unam uxorem  
ducit, quæ prius fuit ab alio cognita , ut sumi-  
tur ex cit. cap. Debitum & cap. Curandum 10. dist.  
34. quia videlicet tale matrimonium deficit in  
significando conjugio Christi Ecclesiam Virgi-  
nem sibi copulantis. Idem Juris est , si quis pro-  
priam uxorem cognoscat postquam illa adulte-  
rium commisit , etiam si tempore contracti Ma-  
trimonii virgo eadem fuerit , ut habetur in c. Si  
laici 13. dist. 34. Secus accidit , si quis aliquam  
ducat prius à se ipso corruptam ; tunc enim  
bigamus & irregularis non efficitur , ut ex plu-  
ribus relatis docet Sanch. lib. 7. de matrim. dis<sup>p</sup>.  
84. n. 14. & Svar. de cens. dis<sup>p</sup>. 49. sect. 3. num. 6.

C

¶ 7. quamvis Doctores non desint qui oppositum sentiant, ut videre est apud Sanch. ibid. n. 13.

13. Utrum autem ad hoc genus bigamiae interpretativa reducendum sit & irregularitatem inducat duplex matrimonium, quorum unum validum sit, alterum invalidum propter impedimentum dirimens, vel quorum utrumque propter eiusdem generis impedimentum sit invalidum, est quæstio à Theologis & Canonistis agitata, de qua videri potest Sanch. in cit. disp. 84. Castrop. de censur. disp. 6. punto 8. n. 7. & seqq. Suar. sect. 2. disp. 49. de censur. n. 3. & seqq. aliisque ab ipsis citati.

14. Hactenus dicta de irregularitate proveniente ex bigamia sive propria sive interpretativa, extendenda quoque sunt ad bigamiam contractam ante baptismum, ut puta si quis ante baptismum duo matrimonia contraxerit, aut unum cum ab alio cognita; aut etiam si unum matrimonium celebraverit ante baptismum, alterum post baptismum, ut sumitur ex cap. si quis viduam 14. dist. 34. c. Acutius 3. & cap. una 5. dist. 26. Quod tamen intelligendum est, non ita ut bigamus etiam ante baptismum censendus sit irregularis, cum irregularitas ute pote de jure canonico statuta non extendatur ad hominem non baptizatum, ut supra notavimus in hoc tit. n. 7. sed ita ut irregularitas quodammodo

do cum baptismo, vel post illum incipiat. Ratio autem est quæ in citatis textibus indicatur: quia videlicet in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest; in conjugio autem non culpa, sed lex est, ut etiam secundum primævam sui institutionem significet conjunctionē Christi cum Ecclesia, ut colligitur ex Apostolo ad Ephes. 5. docetque August. aliquique Patres apud Laym. lib. 1. Theol. mor. tract. 5. par. 5. cap. 6. n. 8. & lib. 5. tract. 10. par. 3. c. 6. n. 2. à qua significatione deficit duplicatio matrimonii sive propria sive interpretativa.

15. Bigamia demum similitudinaria appellatur, quando intercedit non duplex matrimonium carnale, scilicet unum spirituale per votum solemne continentiaz, & aliud carnale, quamvis hoc sit attentatum dumtaxat, utpote invalidum post votum solemne castitatis. Cum autem duplex tantum sit votum ejusmodi solemne, nempe quod emititur in professione Religiosa, & quod includitur in susceptione Ordinis Sacri: ideo duplex hujus bigamiæ species numerari potest, quarum una committeretur à Religioso qui post professionem emissam matrimonium attentatum contraheret & consummaret; altera autem quæ committeretur à Clerico in Sacris constituto, qui post suscepitum Sacrum Ordinem uxorem duceret & cognosceret.

16. Ex

16. Ex priori hujus bigamiae specie irregularitatem contrahi, constat ex cap. Quotquot. 24. Et cap. Monacho 32. 27. quæst. 1. utrum autem contrahatur etiam ex altera specie bigamiae, à Clerico videlicet post Sacrum Ordinem matrimonium attentante, est disputatum inter Doctores, de quo videri potest Suar. de cens. disp. 49. sect. 4. n. 3. Et seqq. Castrop. de cens. disp. 6. p. un. 8. n. 12. aliqui ab ipsis citati.

17. Effectus irregularitatis à bigamia non tantum propria sed etiā interpretativa provenientis, præter prædictam inhabilitatem ad Ordines & beneficia, is quoque est ut bigamus nudatus maneat omni privilegio Clericali, ut habetur in c. un. de bigam. in 6. juncta ibid. Glos. v. bigamos. Quare nec possunt Clericalem habitum & tonsuram deferre, nec ministeria minorum Ordinum ex officio exercere, ut etiam sumitur ex cap. un. de Cler. conjug. in 6. juncta ibid. Glos. v. unicis. & v. Virginibus & ex Trid. sess. 23. de refor. c. 17.

18. Secunda species irregularitatis est quæ provenit ex defectu animæ, qualis est vel ignorantia, vel carentia boni nominis seu infamia, vel carentia libertatis. Ignorantia si tanta sit ut ministerium Ordinis exercere non sinat, constituit hominem irregularēm, ut sumitur ex c. Illiteratos 2. dist. 36. ubi pariformiter arcentur ab Ordinibus suscipiendis illiterati, ac aliqua parte



parte corporis vitiati, quos in omnium sententia irregulares esse paulò infra exponetur.

19. Infamia etiam irregularitatem inducit, ut tradit communis sententia ex cap. *Infames* 16. 6. quæst. 1. & c. *Infamibus penul.* de reg. Jur. ix 6. sive sit infamia juris sive infamia facti; rursus sive infamia oriatur ex delicto proprio; sive ex delicto parentum, qui crimen læse majestatis ac perduellionis admiserint, l. quisquis 5. § filii. C. ad leg. *Jul. Majest.* aut in hæresim lapsi sint, de quo diximus supra in tit. *de hereticis*, aut S. R. E. Cardinalem hostiliter fuerint prosequuti, c. *Felicitis de pœnis* in 6. sive demum oriatur ex vili conditione personæ seu officii quod exercet: quia ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, l. *de pretio* 8. ff. *de publician.* in rem actione. Quænam autem sint crimina quibus infamia annexa est, videri potest apud Layman. lib. 1. *Theol. mor.* tr. 5. par. 5. c. 4.

20. Defectus quoque libertatis, quo laborat servus sive mancipium, irregularem constituit, ut sumitur ex pluribus textibus dist. 54. & ex toto tit. *de servis non ordinandis*: debet enim esse immunis ab aliis, qui Divinæ militiæ est aggregandus, ut dicitur in cap. *Nullus* 1. dist. 54. Idque procedit etiam si quis fuerit manumissus à Domino, retento tamen obsequio, ut in cap. *Quicumque* 5. ead. dist. quod intellige de retenzione obsequii temporalis Clericali Ordini repug-

repugnantis: secus enim esset si retineretur tammodum ministerium Ordinibus non repugnans, ut supponi videtur in cap. Nullus 4. de servis non ordinand. Quod si contra factum sit, tam Ordinans servum quam servus ordinatus subjectus est poenit, de quibus sermo est in c. Ex antiquis 9. c. si servus 19. aliisque pluribus cit. dist. Alter quoque defectus libertatis est obligatio ad reddendam rationem alicuius administrationis seu officii secularis, qualem habent Thesaurarii, Depositarii, Procuratores, Actores, Executores, Curatores pupillorum &c. qui omnes irregulares sunt quamdiu onera illa non deposuerint, & administrationis rationem non reddiderint, ex c. un. de oblig. ad ratioc.

21. Ad idem genus irregularitatis ex anima defectu resultantis reduci potest ea, quae provinit ex amentia, non tantum si haec perpetua sit, sed etiam si fuit ad tempus, ita ut amens etiam post recuperatam sanitatem ordinari non possit sine dispensatione, quemadmodum neque qui aliquando afflictione diabolica vexatus est, ex c. Maritum 3. dist. 33. si tamen amentia provenerit ex propria organorum lassione, non autem ex aliqua febri vehementi, qua cessante statim cesserat amentia, vel advertit Suar. de cens. disp. §1. sect. 1. nro. 4.

22. Tertia species irregularitatis est quae nascitur ex defectu corporis, quo carere debent qui



qui Ecclesiasticis officiis mancipantur, ubi præsertim defectus sit talis generis, ut vel congruum impedit exercitium Ordinis, vel notabilem deformitatem aut horrorem afferat, ut constat ex toto tit. de corpore vitiatis. Inde fit, ab Ordinum susceptione repellri cui brachium vel manus deest, c. Exposuisti 6. de corp. vitiat. aut cui digitus abest ad frangendam vel elevandam Hostiam necessarius c. ult. eod. aut qui alterutro oculo privatus est, ac præsertim sinistro quem Canonicum appellant. c. ult. dist. 55. aut qui hermaphroditus sit, non solum si æque participet utrumque sexum, in quo casu docent communiter Theologi illum esse etiam incapacem characteris Ordinis, ut testatur Suar. de cens. disp. 51. sect 2. n. 1. sed etiam si in eo prævaleat sexus virilis ut ex communi sententia docet ibid. idem Suar.

23. Hæc doctrina fortiori jure procedit, si quis parte corporis, propria se voluntate mutilavit, quia tunc ipsa voluntas est vindicanda, quæ sibi causa fuit ferrum injicere ut dicitur in c. Qui partem 6. dist. 55. Qua in re hanc generali regulam tradit Suar. in loco cit. n. 6. ut toutes mutilatio voluntate propria facta five membra aliquæ principalis, five partis ejus, five deformans, five non deformans, irregularitatem inducat; quoties tanta est, quæ per

se



se & seclusa inadvertentia sine peccato mortali  
fieri non possit.

24. Inde fit irregularem esse , qui vel ex indignatione , vel fortasse ex indiscreto zelo conservandæ castitatis se ipsum absciderit aut abscondi permiserit , ut constat ex c. si quis 4. & c. Hi quis se 5. dist. 55. & c. Ex parte 3. de corp. vitiis. quod tamen non procedit in eo , qui vel ita natus est , vel qui sectus est in cunabulis , vel ex consilio medicorum , ut habetur in c. Eunuchus 8. & c. Si quis 9. dist. 55. & c. Ex parte 3. & 5. de corpore vitiatis.

25. Ad hanc eandem classem irregularitatum provenientium ex defectu corporis , reduci potest irregularitas , quæ contrahitur ex defectu natalium , quam contrahunt omnes illegitime nati , ex c. i. & ult. de filiis presbyteror. aliquisque juribus. De hoc tamen vide quæ diximus lib. i. tit. 12. n. 26. & seq. Castrrop. de cens. disp. 6. pun. 9. Suar. de cens. disp. 50. per totum.

26. Quarta classis irregularitatum est quæ fundatur in defectu levitatis , quam habere debent Ecclesiasticæ personæ , ut ejus ministerio ritè fungantur qui mitis fuit & humilis corde. Talem irregularitatem incurrit judex ferens sententiam sanguinis effectu securo , ejusque Assessore , nec non consilium directè vel indirectè homicidio præstans , ut sumitur ex cap. Ex literis 10. de exceſib. Prælator. Item accusator in

cau-

causa sanguinis , nisi tamen quis accuset malefactorem suum duasque conditiones in accusatione servet : primò ut petat emendam sibi fieri , & provideri ne contra eum talia de cætero præsumantur : secundò ut expressè protegetur quod ad vindictam seu pœnam sanguinis non intendit , quia his conditionibus servatis irregularitas non incurritur , ut statuitur in c. 2. de homicid. in 6. Item hanc irregularitatē contrahunt testes in causa sanguinis effectu secuto , Curiales & Ministri justitiæ ut sunt tabelliones , procuratores , sollicitatores & etiam inferiores ministri , qui vel denunciant vel scribunt sententiā , vel aliquod simile munus exhibent : est enim hac in re generalis regula irregularares fieri qui quovis verbo vel facto cooperantur ad homicidium , ut sumitur ex c. si quis viduam 9. cum aliis dist. 50.

27. Idem juris est de militantibus in bello. Circa quod tamen distinguendam est utrum bellum sit justum vel injustum. Si injustum est , & in eo homicidia seu mutilationes fiant , omnes milites fiunt irregularares , etiam si propriis manibus sanguinem non fundant , ut ex communi docet Suar. de cens. diss. 47. sect. 5. n. i. facietque c. Quod in dubiis 5. de pœnis & c. si quis 4. dist. 51. Si autem bellum justum est , iterū distinguendū est utrum sit aggressivū vel purè defensivum

fivum si sit aggressivum, quotquot occidunt vel  
mutilant, sunt irregulares; secus autem alii qui  
propriis manibus sanguinem non fundant, ut  
colligitur ex c. Petilio 24. de homicid. ubi sermo  
est de bello quod ab exordio defensivum fuit,  
sed postea terminavit in aggressivum, quia fide-  
les exiverunt de castro & persecuti sunt inimi-  
cos. Quod si bellum fistat intra limites puræ  
defensionis, tunc locum non esse irregularitatę  
docet Suar. in cit. disp. 47. de cens. sect. 6. num. 1.  
¶ 2.

28. Quinta demum classis irregularitatum  
est quæ nascitur ex delicto, cuius generis est pri-  
mo hæresis, de qua vide quæ diximus in hoc  
libro 4. tit. 6. n. 6. Secundò est iniqua admini-  
stratio Ordinis sive suscep̄ti, sive nondum sus-  
cep̄ti, nec non in qua Ordinis suscep̄tio, ut ex-  
plicavimus eod. lib. tit. 12. quibus adde ex c. 2. de  
apost. criminis ministri assistentis ex officio ei qui  
rebaptizat, ex quo irregularis efficitur quoad  
ascensum ad superiores Ordines, unde commu-  
nis sententia infert irregularē quoque fieri  
ipsum rebaptizantem, ut testatur Castrop. de  
cens. disp. 6. pun. 16. n. 1. Ipsum etiam qui culpa-  
biliter rebaptizari se finit, irregularē fieri  
constat ex cap. Confirmandum 66. dist. 50. videri  
potest Suar. de cens. disp. 42. sect. 1.

29. Tertiò est crimen homicidii, seu mutila-  
tionis voluntariæ, sive factō, sive præcepto aut  
con-

consilio perpetratae, ut constat ex pluribus iuri-  
bus de homicid. & dist. 50. nec non ex Trid. sess.  
14. de reform. cap. 7. Et Clem. un. de homicid. ubi  
etiam aliud juris esse declaratur, si furiosus, aut  
infans seu dormiens, hominem mutilet vel oc-  
cidat, quemadmodum & si quis mortem aliter  
vitare non valens, suum occidat vel mutilet in-  
vasorem : in his enim casibus irregularitas non  
contrahitur.

30. Quod si homicidium neque voluntari-  
um sit, neque necessarium, sed casuale, sive  
fortuitum ; distinguendum est utrum sequatur  
ex actione quæ de se alias illicita sit atque pro-  
hibita propter periculum homicidii: vel utrum  
sequatur ex actione licita. Si homicidium ex  
primi generis actione sequitur, puta ex illicito  
ludo &c. homicida est irregularis, etiamsi di-  
recta voluntate non intenderit homicidium, ut  
est casus in cap. Continebatur 8. Et cap. sic ut 20. de  
homicid. ad quod etiam facit c. 19. de reg. jur. in 6.  
non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet  
se immiscet.

31. Si autem homicidium sequitur ex actio-  
ne licita, & quæ de se cum periculo homicidii  
non sit conjuncta, iterum distinguendum est,  
utrum adhibita fuerit sufficiens diligentia ad  
omne etiam extrinsecum homicidii periculum  
avertendum ; nec ne? in primo enim casu irre-  
gularitas non incurritur, ut est casus in cap. Jo-

Cc

annes

annos 23. c. quidam 25. c. *Dilectus* 13. aliisque iuribus de homicid. Incurritur in secundo, ut est exemplum in c. *Presbyterum* 7. eod. Unde fit quod laicus exercens artem medicinæ vel chirurgiæ, si alicui præter intentionem mortem causavit, non sine culpa, quia omnem debitam diligentiam non adhibuit, vel quia imperitus fuit, irregularis est, de quo in cap. *Ad aures* 7. de etat. & qual. & Ord. præficiend. Religiosus tamen, & Clericus majorum Ordinum, etiam adhibita omni diligentia, irregularis, efficitur, ut in c. *Sententiam* 9. ne Cler. vel Monach. & c. *Tua* 19. de homicid. Atque hæc pro Institutionum Canoniarum brevitate dicta sint satis

AD MAJOREM  
DEI  
GLORIAM.

---

*Modus scribendi, atque legendi citationes Tex-  
tuum in utroque Jure.*

Pro majori Tyronum commoditate, ac facilitate, placet hic breviter recensere allegationes Textuum præcipuas, quibus utuntur in utroque Jure periti, ut illas facile possint tum apud Authores legere, tum ipsi per se in suis exemplaribus scribere.

Me.



*Modus scribendi atque legendi citationes Tex-  
tuum in Jure Canonico.*

REcolendo quæ fusè declarata sunt in tit. pro-  
cessionali §. 3. à num. 6. partes , quibus com-  
ponitur Corpus Juris Canonici , sunt Decre-  
tum Gratiani , Decretales , Sextus , Clementi-  
næ , & Extravagantes. Decretum in tres partes  
est divisum. Prima pars continet 101. distin-  
ctiones , in plura capita , seu Canones subdivi-  
fas. Solent ii Canones citari per verba ipsorum  
initialia , apposito numero distinctionis sub  
qua continentur : unde si quando Textus ali-  
quis ita allegetur , signum est ipsum reperiri in  
hac prima parte Decreti. Modus autem ejus-  
modi citationes breviandi est , scribere dum  
taxat litteram d quæ significat distinctionem ,  
vel syllabā dist. apposito numero distinctionis ;  
& ante verba initialia Textus scribere dumta-  
xat c. parvum , quod significat caput seu Cano-  
nem v. g. c. consuetudo dist. 8. hoc est capite ,  
quod incipit Consuetudo distinctione octava.

Secunda pars Decreti triginta sex Causas  
complectitur , quarum singulæ in quæstiones  
dividuntur , & quælibet quæstio in capita: in-  
ter quas quæstio tertia Causæ trigesimæ tertiaræ  
continet tractatum de Pœnitentia divisum in  
septem distinctiones subdivisas in capita. Hu-

Cc 2

jus

jus partis Canones , seu Capita allegantur citando numerum causæ , & quæstionis , & præterea verba initialia eorundem capitum . v. g .  
**17. q. 1. c. Ananias** , quæ citatio ita legitur : **de-**  
**cima septima** ( hoc est , **causa decima septima** , so-  
let enim relinqui vox **causa brevitatis causa** , &  
solus numerus causæ allegari ) **quæstione prima** ,  
**capite Ananias** , hoc est cuius initium est **Ana-**  
**nias** . Si autem Textus reperiatur in tractatu de  
Pœnitentia ita citatur : **de pœnit. dist. 2. cap. cum**  
**sanctam.**

Tertia pars Decreti continet tractatum de consecratione in quinque distinctiones distributum subdivisas in Canones seu capita . Modus allegandi eosdem Canones est , citare tractatum de consecratione , numerum distinctionis , & initium capitinis , v. g. **de consecr. dist. 4. c.** ostenditur .

Decretales sunt altera pars componens corpus Juris Canonici compilata ex autoritate Gregorii IX. divisa in quinque libros , quorum quilibet plures sub se titulos habet in capita subdivisos . Ejus Textus citantur per verba ipsorum initialia , apposito titulo sub quo repertuntur . v. g. **c. querelam** , **de jurejur.** hoc est , **capite** , cuius initium est **querelam** sub titulo **de jurejurando** . Quia autem aliquando contingit , sub eodem titulo plures Canones reperiri per eadem verba incipientes , ut cognoscatur in ci-  
tatio-

tatione de quo illorum sermo sic , solent antiquiores Canonistæ post verba initialia capitis apponere expressè Italica voce *il primo* , seu *il secundo &c. v. g. c. bona memoria il secundo de postul. Prælator.* quo significatur , citatum caput esse secundum inter ea quæ incipiunt *Bona memoria* sub titulo *de postulatione Prælatorum.* Eundem stylum servant in citationibus aliarum partium Juris Canonici , si quando contingat sub eod. titulo plura capita reperiri per eadem verba *incipientia.* Plures tamen ex recentioribus Canonistis , ut ea confusio vitetur , simulque ut facilius citata capita inveniantur , post verba initialia capitis , solent apponere numerum , quo in ordine reperitur idem caput sub citato titulo , v. g. *c. bona memoria 4. de postulatione Prælator.* quem stylum servavimus plerumque etiam nos in toto hoc Opere , etiam ubi initium capituli citati non est *commune pluribus capitibus.*

Sextus Decretalium est tertia pars compo-  
nens Corpus Juris Canonici , divisa etiam in  
quinque libros , quorum quilibet plures sub se  
titulos habet desumptos ex Decretalibus Gre-  
gorii. Hujus partis Canones citantur etiam per  
voces iniciales capituli , addendo titulum , &  
præterea particulam in 6. v. g. *c. Inquisitores de  
baret.* in 6. hoc est , capita cujus initium est *In-  
quisitores* , sub tit. *de bæreticis* , in sexto Decretalium.

Cc 3

Clej

Clementinæ sunt quarta pars Corporis Juris Canonici. Ejus Canones ita v.g. citantur: Clem. nolentes, de hæret. hoc est, Clementina cuius initium est Nolentes, sub titulo de hæreticis.

Ultima pars Corporis Juris Canonici est liber Extravagantium, in duas partes subdivisus, quarum una continet Extravagantes Joannis XXII. altera autem Extravagantes communes. Ejus textus solent v. g. hoc modo allegari: Extrav. ad Apostolatus, de concef. præb. inter Extrav. Joar. hoc est Extravaganti, cuius initium est ad Apostolatus, sub titulo de concessione præbenda, inter Extravagantes Joannis vigesimi secundi: Extrav. si Religiosus, de elect. inter comm. hoc est, extravaganti cuius initium est Si Religiosus, sub titulo de electione, inter communes extravagantes.

Olim Canonistis solemne fuit, ut si quando allegare deberent aliquem Canonem non inclusum in Decreto Gratiani, adderent particulam Extra: v. g. c. quia propter, extra de elect. quo significabant Canonem illum esse extra Decretum: nunc tamen stylus iste communiter non servatur, nisi aliquando ubi citandus sit aliquis textus, qui nondum sit inclusus in corpore Juris. Legistæ tamen modum illum adhuc servant, ubi citatur ab ipsis aliquis textus Canonicus, quo significare intendunt citatum textum esse extra Corpus sui Juris, scilicet Civilis.

De-

Demum pro omnibus prædictarum partium citationibus notandum est , si aliquando contingat , Canonem aliquem esse aliquantulū prolixiorē , ac propterea in paragraphos di- vidi , tunc ad facilius inveniendum textum , so- lere citari etiam paragraphum hoc signo §. per verba ejus initialia . v. g. c. quia propter , §. illud autem , de elect. Quod idem servatur etiam in citationibus legum civilium.

*Modus scribendi atque legendi citationes textuum  
in Jure Civili.*

R Ecolendo etiam quæ fusè à nobis explicata sunt in tit. procœmiali §. 2. à num. 7. prima partium componentium Corpus Juris Civilis est Digestum subdivisum in Digestum vetus , Infortiatum & Digestum novum. Digestum breviate scribitur vel per litteram majorem D , vel per græcam litteram π ( quæ est initia- lis in voce græca Pandectæ , quo nomine vo- catur etiam Digestum ) , vel frequentius per has duas litteras ff. Lex breviate scribitur per litteram l. Si itaque citanda sit lex in Digesto contenta , solet v.g. ita allegari : l. quod si , ff. de rei vindicat. hoc est , lege , quod si , Digestis de rei vindicatione , & significatur eam legem reperiri in libris Digestorum sub titulo De rei vindica- tione.

Cc 4

Co-

Codex est altera pars Corporis Juris Civilis, atque dividitur in 12. libros, ita tamen ut primi 9. libri positi simul sint in proprio volumine, reliqui autem tres ultimi positi sint post Institutiones. Codex breviate scribitur per majorem litteram C. Ejus leges contentæ in aliquo prioritum novem librorum hoc modo v. g. allegari solent: *l. invitius*, *C. de procurator.* hoc est, *lege*, cuius initium est *Invitus*, Codice hoc est in volumine Codicis, sub titulo *De procuratoribus*. Si autem alleganda sit lex contenta in aliquo trium ultimorum librorum, solet etiam addi numerus libri: v. g. *l. frustra*, *Cod. de re militari* *lib. 12.*

In libris Codicis inveniuntur nonnumquam translatæ aliquæ particulæ Authenticorum, & illæ sunt quæ propriè dicuntur authenticæ. Illarum allegatio hujusmodi est: *auth. Sed Judex*, *C. de Episc. & Cler.* hoc est, *authenica* cuius initium est *Sed Judex*, in volumine Codicis, sub titulo *De Episcopis & Clericis*.

Alia pars Juris Civilis est volumen Authenticorum, divisum in novem Collationes. Ejus textus citantur per prima verba paragraphi addendo titulum ipsius Authentici. v. g. §. *Deinceps*, *Auth. de nuptiis*, hoc est paragrapho, cuius initium est *Deinceps*, *Authenico*, hoc est in volumine Authenticorum, sub titulo *De nuptiis*.

Alia pars Juris Civilis est liber feudorum. E-

jus

jus leges solent v.g. hoc modo citari: in lib. feud.  
de natura feudi, c. vel l. natura, hoc in libro feu-  
dorum sub titulo *De natura feudi*, capite, vel le-  
ge, quæ incipit, *natura*.

Alia demum Juris Civilis pars sunt Institu-  
tiones Justiniani. Ejus leges citantur etiam per  
prima verba paragraphi, addendo titulum In-  
stitutionum, v. g. hoc modo: *Instit. de rer. di-  
vis.* §. Item ea, hoc est, in Institutionibus Ju-  
stiniani, titulo *De rerum divisione*,  
paragrapho cuius initium est,  
*I*tem ea.

F I N I S.



IN-